tum evaporatione in crystallos redige; liquidum remanens iterum evaporet. Crystallos collectas sicca et serva in vase bene clauso. *Part. const.* Ammonii duo, Acidi nitrici unum, Aquae unum Pond. Mixt. *Vis:* diuretica ut ajunt. Non amplius adhibetur. Aquam ex aëre colligit, quare bene praecludatur.

NITRUM FUSUM vid. Lapis Prunellae (p. 502).

NITRUM INFLAMMABILE vid. Nitrum flammans

NITRUM PAPAVERATUM est Nitrum ex Infuso Papaveris crystallisatum.

NITRUM PERLATUM Ph. Wirt.

Rec. Nitri depurati Unc. quatuor, Matris Perlarum praeparatae Unc. semis. m.

NITRUM PONDEROSUM vid. Baryta nitrica (p. 127).

NITRUM PURIFICATUM, PURISSIMUM vid. Nitrum depuratum.

NITRUM RHOMBOIDALE vid. Natrum nitricum depuratum.

NITRUM ROSATUM Ph. Wirt.

est Nitrum ex Infuso Rosarum rubrarum crystallisatum.

NITRUM SATURNINUM Ph. Wirt.

Rec. Nitri crudi Unc. tres, Sacchari Saturni Unc. duas, soluta in Aq. Rosarum ad siccum evaporent.

NITRUM TABULATUM vid. Lapis Prunellae (p. 502).

NITRUM TARTARISATUM est Nitrum verum ex Oleo Tartari per deliquium et Acido nitrico recompositum.

NITRUM TERRAE PONDEROSAE vid. Baryta nitrica (p. 127).

NITRUM VITRIOLATUM vid. Arcanum duplicatum (p. 99).

NODULUS PURGANS Saunder.

Rec. Hb. Trifolii, — Fumariae āā Unc. semis, Rad. Pimpinell. Drachm. tres, — Gentian., Cort. Cascarill. āā Unc. semis, Cort. Aurant. Drachm. sex, Sem. Dauci, — Anethi āā Drachm. duas, Rad. Rhei Unc. semis, Fol. Senn. Drachm. sex, Sal. amari Unc. duas.

OCULI CANCRORUM CITRATI parentur ex Oculis Cancrorum sicut Conchae citratae (p. 193).

OCULI CANCRORUM PRAEPARATI vid. Lapides (p. 500).

ODORAMENTUM SICCUM PRO INFIRMITATE. Räucherung bei Ohnmachten.

Rec. Sal. Ammon. Drachm. unam, Calcar. ust. Drachm. duas, seorsim pulverata misce et immitte in vitrum obturamento vitreo munitum; vel: Kali sulphur. acidul. Drachm. duas, Kali acetici Drachm. unam, misce et Aceto radicali humecta; vel: Sal. Cornu Cervi depur. Scrup. unum, Sacch. albi Unc. semis, Ol. Menth. pip. Gutt. duodecim.

OESYPUS PRAEPARATUS. Gereinigtes Wollfett.

Oesypus crudus (I, p. 191) in aqua fervida dissolvitur, colatur et ad extracti mollis consistentiam redigitur.

OFFA ALBA Helmontii Disp. Brunsv.

Rec. Salis Alcali volatilis sicc. q. v., instilla lenissime ac in loco frigido Spiritus Vini rectificatissimi q. s. ut nascatur coagulum.

OLEO-CERATUM AQUA SUBACTUM vid. Ceratum Galeni refrigerans.

OLEO-SACCHARUM vid. Elaeosaccharum (p. 253).

## OLEUM ABSINTHII. Wermuthöl. *Huile essentielle d'Absinthe.*

*Synon.:* Oleum Absinthii aethereum s. essentiale s. stillatium, Aetheroleum Absinthii. Weſentliches Wermuthoel.

Rec. Herbae (summitatum) Absinthii vulgaris cum semine fere maturo recens siccatae quantum vis, in vesicam cupream immissae affunde Aquae communis quantum satis ut haec large superemineat herbae humectatae, neque adustionis periculum immineat (quod ut evitetur conducit cratem ferream fusam rotundam ubique venalem, vel laminam ferream foraminibus parvis perviam in fundo vesicae ponere, ne herba fundum ipsum tangat.). Destillatio cum continua ebullitione instituatur, donec aquae adhibitae dimidia pars transgressa fuerit. Oleum aethereum aquae in lagena Florentina innatans lege artis separetur. Aqua destillata oleo saturata cum nova Herbae Absinthii copia, addita aqua fontana sufficiente denuo destillet et oleum iterum separetur, haecque operatio repetatur, donec Olei justa copia obtenta fuerit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0610-9 DFG

Serva in vitro probe clauso ex toto fere replendo.

Sit coloris saturate viridis, lucis vi in fuscum mutantis, spissiusculum; pond. spec. 0,960, saporis aromatico-amari, ingrati.

OLEUM ABSINTHII COCTUM s. INFUSUM. Gekochtes Wermuthöl. *Huile gras d'Absinthe.*

Rec. Hb. Absinthii recentis siccatae Libram unam, concide ope cultri oscillatorii, tum optime contunde in mortario cum Spiritus Vini rectificatissimi pauxillo, ut herba parce irrigata appareat. Massam humectatam digere in vase clauso per aliquot horas, tum adde Olei Olivarum Libras tres et coque in vase ferreo vel porcellaneo, donec Spiritus penitus avolaverit, et herba bene siccata fuerit, quod strepitu quodam sicco herbae agitandae dignoscitur. Exprime ex linteo. Residuum digere cum Olei Olivarum Libra una, et iterum exprime. Olea expressa mixta filtra per chartam emporeticam. Serva in vase non nimium capace, bene clauso, at non ultra annum

Sit limpidum, coloris e flavo viridis, odoris Absinthii, non rancidi.

Olea cocta rancorem facile contrahunt. Nostra formula, viam mediam inter Codices dissentientes secuta, quoad ponderum rationem ex Ph. Slesv.-Hols. derivatur. Cum hac conveniunt Ph. Bat., Belg. et Parm. Pro singulis Hb. Absinthii recentis Unciis duas Olei Uncias Ph. Fuld., Sard. proponunt; Hb. Absinthii sicc. Unc. unam, Ol. Olivar. Unc. octo Ph. Bor. ed. 5, Hann., Ol. Olivar. Unc. tres, Ph. Dan., Oldenb., Polon., Palat., Ceterarum varietates in re tam exigua perlustrare vix opus est. Qui Herbam recentem praecipiunt, ad humiditatis consumtionem coqui volunt, id oleo prunis ardentibus insperso eo dignoscitur quod absque crepitatione deflagret. Herba sicca nostra praeparatione in herbae recentis virtutem fere reducitur. Ph. Saxon. 1837 in locum Olei cocti Oleum, quod nominat mixtum, proposuit. Hoc paratur ex Olei Olivar. Unc. una, et Olei Absinthii aetherei Gutta una.

OLEUM ABSINTHII MIXTUM Ph. Saxon. vid. antecedens.

OLEUM ABSINTHII TEREBINTHINATUM Ph. Hann.

Rec. Hb. Absinthii cum semine fere maturo, modice siccatae Libr. duodecim, Ol. Terebinth. Unc sex, Aq. comm. q. s.; destillatio fiat ex vesica, Oleum innatans lege artis secernatur. *Vis*: anthelminthica, antiepileptica. *Usus*: in dysuria spastica, contra vermes, in morbo caduco.

OLEUM ACORI vid. Oleum Calami.

OLEUM ACUSTICUM s. ad aures. Ohröl.

Cadet: Rec. Balsami tranquill. Drachm. duas. Ol. Rutae coct Unc. semis, Balsami Sulphur. terebinth., Tinct. Asae foetid., Tinct. Ambr. gris., — Castorei, Ol. Succini rect. āā Drachm. duas. Maule: Ol. Terebinth. Gutt. 40, Ol. Amygdalar. dulc. Unc. semis.

OLEUM AETHEREUM vid. nomina Oleorum absque cognomine aetherei. Quod a Ph. Lond. aethereum dicitur vid. voce Oleum Vini dulce.

OLEUM AGRIPPAE vid. Oleum Bryoniae compositum.

OLEUM ALOES.

Rec. Aloës Soccotr. q. s., destillet (absque aqua) ex retorta, donec massa carbonacea supersit. Est Oleum empyreumaticum plane rejiciendum.

OLEUM ALTHAEAE Ph. Hisp.

Rec. Rad. Althaeae Unc. tres, Olei Olivar. Unc. octo, digere per tres dies aut quatuor, tum coque ad humidi consumtionem et exprime.

OLEUM AMMONIACI Ph. Wirt.

Rec. Gummi Ammoniaci Libr. unam, Arenae lotae Libr. unam et semis; destillatio fiat. Oleum supernatans a reliquo liquore separetur.

OLEUM AMMONIATUM vid. Linimentum volatile (p. 514).

† OLEUM AMYGDALARUM AMARARUM, Oleum essentiale Amygdalarum amararum. Bittermandelöl. *Huile d'amandes amères.*

Rec. Amygdalarum amararum q. v., contunde in mortario in pulverem grossiusculum, quem sacculis cannabinis inclusum in prelo torculari fortiter exprime. Placentas expressas cum aqua communi frigida in pultem liquidam redige, quam per noctem macerandam sepone. Destillatio instituatur ex vase idoneo per vapores aquae, qui per massam tenuem amygdalaceam transducantur, et in serpente stannea condensentur. Destillatio fiat, quamdiu Aqua satis fragrans prodit. Oleo innatante separato, Aqua novae destillationi subjiciatur vel cum novis Amygdalarum placentis commisceatur *Vis*: maxime venenosa. *Usus*: sicuti Acidi hydrocyanici.

Nisi apparatus idoneus ad evolvendos vapores aquosos tibi est in promtu, vesica ordinaria tali modo in eundem usum advocatur. In vesicae fundo stratum straminis, digitos duos ad tres altum, est conjiciendum, in hoc tela cannabina grossioris texturae, marginibus ad parietes vesicae rectis, expandatur, et Aquae communis tanta copia in vesicam immittatur, ut aliquantulum supra telam cannabinam emi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0611-5
DFG

neat. Tum caute pultem amygdalinam in vesicam infunde, cavens, ne sub telam submergat, atque vesicae fundum attingat. Destillationis initium summa cum cura gere ne massa sublevetur atque in gyrum serpentinum transmigret, quod igne sensim sensimque augendo obtinetur. Plures pharmacopoeae Sal commune pulti addiderunt; at quidem experimentis non constat sumtum Salis lucro majore Olei aetherei aequiparari. Aqua simul obtenta iteratae destillationi subjecta Olei copiam auget.

Est Oleum pallide flavum, odoris fortis hydrocyanici, pond. spec. 1,043, aëris contactu oxygenium attrahens, sensimque in acidum benzoicum mutabile. Propter incertam chemicam mixtionem, acidi hydrocyanici contenti varietatem et mutabilitatem ex re medica ejiciendum est, eoque magis, quod vires in eo contentae aliis remediis quoque insunt.

OLEUM AMYGDALARUM CAMPHORATUM. Kampherhaltiges Mandelöl. *Huile d'amandes camphrée.*

Ph. Saxon. 1837: Rec. Ol. Amygd. dulc. Unc. unam, Camphor. Drachm. unam.

## OLEUM AMYGDALARUM DULCIUM. Süßmandelöl. *Huile d'amandes douces.*

*Synon.:* Oleum Amygdalae s. amygdalinum.

Rec. Amygdalarum dulcium q. v., ope cribri metallici strenua agitatione pulverem externum corticum excute, tum in mortario in pulverem grossiusculum redige, quem sacculis cannabinis vel trilicinis inclusum in prelo torculari fortiter exprime. Placentas expressas in mortario denuo contunde, iterumque exprime. Placentarum bis expressarum margines, oleo gravidas, cultro deseca et iterum contusas tertium exprime, parte intermedia placentarum relicta. Oleum expressum per chartam bibulam albam filtratum serva.

*Vis:* demulcens, involvens, emolliens, laxans.

Sit oleum limpidum, subflavescens, tenue fluidum; pond. spec. 0,914 — 0,920, odoris et saporis amygdalarum dulcium, non rancidum, acidi plane expers, tempore glaciali non congelescens, vix in quadraginta alcoholis absoluti partibus solubile, cum Naphtha Vitrioli omni proportione miscendum. Temporis lapsu oxygenium attrahit, rancidum fit et spissescit.

*Usus:* in tussi catarrhali, colica spastica. Plerumque emulsionis forma propinatur.

Quaedam pharmacopoeae laminas preli immergendo in aquam fervidam calefieri proponunt. Oleum uberius effluit, at facilius rancescit. Praestat Oleum tempore aestivo calido, absque calore artefacto adhibito, exprimi. Amygdalas contusas in patina calefacere vituperandum est, quia adustionis et coloris intensioris periculum secum fert. Aqua placentis adjecta Olei parva copia insuper extricatur, sed sacculi placentis humectatis facile dirumpuntur. Pulverem corticibus adhaerentem excutere oeconomiae est, scilicet qui oleo absorpto jacturam efficeret. Oleum ex Amygdalis amaris expressum ejusdem indolis est atque ex dulcibus, imo etiam quod ex nucleis Persicorum atque Armeniacorum obtinetur.

OLEUM ANAGALLIDIS. Gauchheilöl.

Ph. Wirt., Palat. Rec. Hb. Anagallidis arvensis, Ol. Olivar. āā q. v., coque ad consumtionem humidi, cola cum expressione.

OLEUM ANACARDII ex fructibus Anacardii orientalis paratur expressione calida sicut Butyrum Cacao.

OLEUM ANETHI s. Oleum essentiale Anethi graveolentis. Dillſamenöl. *Huile de Fenouil puant.*

Destillatione ex vesica paretur sicut Oleum Absinthii aethereum ex Seminibus Anethi graveolentis.

OLEUM ANETHI COCTUM s. Infusum. Gekochtes Dillöl.

Rec. Herbae Anethi graveolentis recentis, Ol. Olivar. āā q. v., ad humidi consumtionem, cola cum expressione. Ph. Fuld., Wirt., Palat., Brunsv., cet.

OLEUM ANGELICAE. Angelikawurzelöl.

Rec. Radicis Angelicae Archangelicae partes quatuor, Aquae communis part. sedecim, Salis comm. part. unam. Destillent lege artis. Oleum supernatans separetur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0612-0
DFG

## OLEUM ANIMALE DIPPELII. Dippel's Thieröl. *Huile animale de Dippel.*

*Synon.:* Oleum pyroanimale depuratum, Oleum Cornu Cervi rectificatum v. destillatum, Oleum volatile animale, Pyroleum ossium rectificatum. Aetherisches Thieroel, Dippel's thierisches Oel. *Huile volatile de Corne de Cerf.*

Rec. Olei Cornu Cervi crudi q. v., infunde retortae vitreae justae capacitatis per tubulum, hanc in balneum arenae colloca, excipulum appone et blando calore destillationem institue, donec Olei quarta fere pars transierit, vel quamdiu oleum tenue coloris expers transierit. Oleum hoc modo obtentum eadem cautione cum Aquae quadruplo novae destillationi ex retortula subjiciatur, quamdiu Oleum limpidissimum plane decolor transit. Hoc lege artis ab aqua separatum immittatur in lagenulas parvas Unciae dimidiae capaces, ex toto replendas, optime claudendas, et sub aqua inverse immersas loco obscuro servandas. *Vis:* antispastica, anodyna, diaphoretica, externe incitans.

Sit Oleum tenue limpidissimum, coloris expers, vel levissime tantum flavum, agile, pond. spec. 0,750, odoris gravissimi aromatici, Spiritu Vini rectificatissimo et Naphtha Vitrioli solubile, in aqua parum solubile.

*Usus:* in febribus intermittentibus, in ipsa epilepsia, hysteria, externe in paralysibus extremitatum.

Oleum animale aethereum temporis, aëris atque lucis vi colorem primum flavum deinde fuscum sensim induit. Nova destillatione cum aqua iterum depuratur. Maxime inconcinnum est, quod plures Pharmacopoeae (Austr., Bat., Bavar., Fenn., Suec., cet.) proponunt, Oleum destillandum corporibus siccis, sicuti Carbone, Arena, Cornu Cervi, Calce, Pulvere latericio suscipere, quia denuo corpora pyrogenea colorata progignuntur, quae rectificatione excerni debebant. Oleum pluries insequenter destillare supervacaneum est, quia facultas colorem induendi non tollitur. Oleum obtentum non improprie in tubis vitreis parvis in acum desinentibus et ope tubi ferruminatorii clausis servatur. Hi tubi calefacti et sub Oleum immersi deinde refrigerati Oleum sponte imbibunt.

## OLEUM ANISI. Anisöl. *Huile d'Anis.*

*Synon.:* Oleum Seminum Anisi, Aetheroleum Anisi.

Rec. Seminis Anisi probe contusi q. v.,
Aquae communis octuplum.
Destillatio instituatur ex vesica, donec Aquae dimidium vel trientes duae transierint. Aqua gyro serpentino circumdata sensim tepescat, ne Oleum Anisi in refrigeratorio congelescat. Aqua destillata, demto Oleo, novae Seminum copiae infundatur et, addita tantae Aquae copia ut ex toto octuplum sit seminum, nova destillatio fiat, quae operationes tamdiu repetantur, donec justa Olei copia obtenta fuerit. Vis: flatus ventris pellens, incitans.

Est Oleum coloris straminei, pond. spec. 0,977, odoris fortis proprii, saporis primum dulcis mitis, dein acriusculi, frigore concrescens in massam crystallinam foliatam.

Stearoptenum inest, totius ponderis quadrans fere, ad Grad. 16 R. liquatum.

### OLEUM ANISI EXPRESSUM. Ausgepreßtes Anisöl.

Semina Anisi contusa, vapore aquae calefacta, sacculis linteis inclusa, inter laminas preli calefactas summa cum vi exprimuntur. Olei destillatio est anteponenda.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0613-6
DFG

OLEUM ANISI STELLATI, Oleum Badiani. Sternanisſaamenöl.

Ex Seminibus Anisi stellati destillatione cum Aqua obtinetur, sicut Oleum Anisi.

OLEUM ANISI SULPHURATUM vid. Balsamum Sulphuris anisatum (p. 121).

OLEUM ANODYNUM VOGLER Weilb.

Rec. Laud. liquid. SYDENH. Scrup. quatuor, Ol. Olivar. Scrup viginti.

OLEUM ANTHELMINTHICUM vid. Oleum contra Taeniam CHABERTI.

OLEUM ANTHEMIDIS vid. Oleum Chamomillae.

OLEUM ANTIMONII vid. Butyrum Antimonii (p. 140).

OLEUM APPARITII vid. *Balsamum* Apparitii (p. 109).

OLEUM AREGONIS vid. Oleum Conyzae compositum.

OLEUM AROMATICO-NARCOTICUM vid. Balsamum tranquillans (p. 123).

OLEUM ARTEMISIAE Ph. Wirt. Beifußöl. *Huile d'Armoise commune.*

Paretur ex Herba Artemisiae vulgaris recente sicut Oleum Absinthii.

OLEUM ARTHANITAE COMPOSITUM Ph. Hisp.

Rec. Succi Momordicae Elaterii Radicis Libr. duas, Succi Cucumeris agrestis Unc. octo, Colocynth. Unc. duas, Polypodii Unc. tres, Euphorbii Drachm. duas, contusa digere cum Ol. Irini Libr. duabus per dies quatuor, coque ad humiditatis consumtionem, cola.

OLEUM ARTHRITICUM VAN MONS.

Rec. Balsami Peruvian., Ol. Sassafras āā Drachm. unam, Resin. Guajaci Unc. unam, Spir. Salis Ammoniaci vinosi Unc. tres, Spir. Vini rectss. Unc. sex.

OLEUM ASPHALTI. Asphaltöl. *Huile d'Asphalt.*

Rec. Asphalti pulverati Libr. unam, Arenae lotae Libr. unam et semis, mixta destillationi ex retorta subjiciantur usque ad siccitatem. Oleum nigrum ultimo prodiens (pix liquida) a liquore aquoso separetur.

OLEUM ASPHALTI RECTIFICATUM.

Ph. Hamb. 1835 Oleum praecedens destillatione rectificari vult. Sit flavescens, odoris fortis empyreumatici-bituminosi.

OLEUM AD AURES SPIELMANN.

Rec. Ceparum minutim concisarum Unc. unam; Asellor. vivent. No. 60, Fell. Tauri Drachm. duas, Ol Amygdal. dulc. Unc. unam, macera primum, coque paululum et adde colaturae Ol. Rutae, — Majoranae, — Anthos āā Gutt. tres.

OLEUM AVELLANARUM. Haſelnußöl.

Oleum pingue ex nucleis Coryli Avellanae expressum sicuti Oleum Amygdalarum dulcium.

OLEUM BALATINUM vel Ol. Been vid. I, p. 192.

OLEUM BALSAMI COPAIVAE. Flüchtiges Copaivaöl. *Huile essentielle de Copahu.*

Balsamum Copaivae ex retorta vitrea cum Aqua destillationi subjiciatur, et aqua transgressa sexties vel octies in retortam ad cohobationem refundatur, ut tota olei copia eliciatur. Oleum a liquido separetur. Est Oleum pallide flavum, pellucidum, pond. spec. 0,88, Spir. Vini rectss. solubile. Oleum volatile difficulter ex Balsamo ope destillationis extrahitur. Facilius res cedere dicitur, si Balsami partes 100 cum aequali pondere Balsami Copaivae agitatur, miscelae 37½ partes Lixivii caustici adjiciuntur, denique liquor aquae partibus 150 diluitur. Oleum sensim excerni dicitur.

OLEUM BASILICI. Baſilicumoel. *Huile de Basilic.*

Paretur sicut Oleum Absinthii ex Herba Basilici recente cum flore.

OLEUM BELLADONNAE s. Oleum Belladonnae coctum. Belladonnaöl. *Huile de Belladone.*

Ph. Gall. 1837. Paretur ex Hb. Belladonnae recent. part. una et Olei Olivar. part. duabus digestione usque ad humiditatis consumtionem, colatione et filtratione.

OLEUM BENZOES Benzoëöl. *Huile de Benjoin.*

Ph. Wirt. hoc Oleum destillatione sicca Benzoës parari docuit. Simul aqua et Flores Benzoës ab oleo separanda prodeunt.

OLEUM BETULINUM s. Oleum empyreumaticum Betulae, Balsamum lithuanicum. Birkenöl. *Huile de Bouleau blanc.*

Destillatione sicca descendente paratur ex libro sub cortice Betulae albae posito, vel ex cortice toto cum libro. In Rossia et Lithuania paratur et in mercatura obtinetur. Corium quod Juften dicitur, odorem ab hoc oleo desumit. *Usus*: in morbis cutaneis, herpete, eczemate chronico, phtiriasi, cancro, cet. Medicamentum domesticum in Rossia.

OLEUM BEZOARDICUM WEDELII. Ph. Brunsv., cet.

Rec. Ol. Amygdal. dulc. Unc. duas, Camphor. Drachm. duas, solve, tinge cum frustulo Radicis Alcannae, adde Ol. Bergamott. Drachm. semis.

OLEUM BRITANNICUM, British Oil anglice dictum.

RENNIE: Rec. Camphor. Unc. unam, Spir. Vini rect. Unc. quatuor, Ol. Olivar. Libr. unam, Ol. Cornu Cervi Unc. quinque.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0614-2
DFG

OLEUM BRYONIAE COMPOSITUM s. Agrippae. Ph. Hisp.

Rec. Rad. recent. Bryoniae, — Cucumeris agrest. āā Libr. unam, — Scill., — Irëos German., — Sambuci Ebuli āā Libr. semis, coque cum Ol. Olivar. Libr. quatuor ad humidi consumtionem, cola.

OLEUM BUFONUM vid. Balsamum tranquillans (p. 123).

OLEUM BUXI ET GUAJACI.

Ph. Wirt. E scobe Ligni per retortam destillatur; prodit primum phlegma; postea spiritus acidus et tandem Oleum nigrum crassum ad instar picis liquidae, quod rectificatur.

OLEUM CACAO vid. Butyrum Cacao (p. 142).

OLEUM CADINUM. Cadeoel. *Huile de Cade.*

destillatur ex ligno Juniperi Oxycedri in Gallia meridionali. Odorem ingratum prae se fert. *Usus*: in morbis cutaneis animalium domesticorum.

## OLEUM CALAMI. Kalmusöl. *Huile d'Acorus odorant.*

*Synon.*: Oleum Calami aromatici s. destillatum, Oleum Acori, Aetheroleum Calami.

Ex Radice Acori Calami Oleum destillet sicuti de Oleo Anisi praeceptum est.

Coloris e rubro flavescentis, pond. spec. 0,89—0,90, fragrantissimum, saporis amari, aromatici, subcamphorati.

## OLEUM CAMPHORATUM. Kampheröl. *Huile camphrée.*

*Synon.*: Oleum Camphorae, Solutio Camphorae oleosa, Linimentum Camphorae (Lond).

Rec. Olei Olivarum Uncias octo, Camphorae tritae Unc. unam, in lagenam ingesta leni calore fove, donec Camphora soluta fuerit. *Vis:* resolvens, discutiens.

Oleum liquidum Camphoram valde redolens.

*Usus:* ad dissipandos humores stagnantes.

De eligenda formula inter Codicum dissensum Pharm. Borussicam secuti sumus. Hujus enim ponderum rationem quoque Ph. Slesv.-Hols., Fuld., Hamb. receperunt, et Ph. Gall. 1837 non multum abest, quae septem scilicet Olei Olviarum Uncias ceteris paribus praecepit. Camphorae Unc. unam et Olei Olivar. vel Papaveris Unc. quatuor habent Ph. Amer., Dan., Dubl., Edinb., Hann. et Lond. — Olei Lini duas Uncias et Camphorae unam habent Ph. Fenn., Suec.

OLEUM CAMPHORAE LIQUIDUM ET BUTYRACEUM

Ph. Wirt. Rec. Camphorae Libr. semis, Boli rubr. vel Argillae Libr. duas et semis, permixta in retorta destillationi subjiciantur. Oleum liquidum quod primum prodit a butyraceo, quod in collo retortae condensatur, separetur.

OLEUM CANNABIS Hanföl. *Huile de Chanvre.*

Ex Seminibus Cannabis contusis expressione paratur sicut Ol. Amygdal. dulc. Ph. Hisp.

## † OLEUM CANTHARIDUM. Cantharidenöl, Spanischfliegenöl. *Huile de Cantharides.*

Ph. Slesv.-Hols., Hamb. 1835. Rec. Cantharidum in pulverem grossiusculum contusarum Unc. quatuor, Olei Olivar. Unc. sedecim, digerantur per 24 horas in vase vitreo, tunc oleum per linteum coletur. Ph. Gall. 1837 Catharid. Unc. quatuor, Ol. Olivar. Unc. triginta duo.

OLEUM CAPPARUM s. de Capparibus.

Ph. Hisp. Rec. Capparidum condit. Unc. octo, Cort. Rad. Capparid. Unc. duas, Rad. Cyperi longi Unc. unam, Hb. Rutae recent. Drachm. duas, Ol. Olivar. Libr. tres, Vini albi Unc. sex, post tres dies coque ad consumtionem humidi et cola. Ph. Wirt. Cort. Rad. Capparid., Cort. Tamarisci, Hb. Ceterach., — Rutae āā Drachm. unam, Semin. Agni casti Drachm. duas, Vini Unc. semis, Ol. Olivar. Libr. unam, coque ad humidi evaporationem, cola. Varietates Ph. Sard. et Palat. omittamus.

## OLEUM CARDAMOMI MINORIS, Oleum Seminis Cardamomi. Cardamomenöl.

Ex Seminibus Cardamomi leviter contusis paratur sicut Oleum Absinthii, cet. Ph. Brunsv., Wirt.

OLEUM CARMINATIVUM s. ad tormina ventris.

Ph. Wirt. Rec. Hb. recent. Anethi, — Menth., — Absinth., — Pulegii, Flor. Chamomill āā Unc. quatuor, incisa coque cum Ol. Olivar. Libr. duabus ad humiditatis



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0615-8

consumtionem, adde Ol. Laurini expressi Unc. tres.

OLEUM CARMINATIVUM AETHEREUM Spielmann.

Rec. Ol. Chamomill., — Menth. pip. āā Unc. duas, — Carvi, — Cumini, — Foeniculi āā Drachm. semis.

OLEUM CARPATHICUM vid. Oleum templinum (I, 200)

## OLEUM CARVI. Kümmelöl. *Huile de Cumin.*

*Synon.*: Oleum Seminis Carvi, Aetheroleum Carvi.

Paretur ex Seminibus Cari Carvi Linn. probe contusis sicut Oleum Anisi.

Coloris pallide flavi, lucis accessu fuscescens, pond. spec. 0,905 — 0,914, saporis calidi, acris, longe persistentis.

## OLEUM CARYOPHYLLORUM. Gewürznelkenöl. *Huile de Girofles.*

*Synon.*: Oleum Caryophyllorum destillatum s. aethereum, Aetheroleum Caryophylli.

Rec. Caryophyllorum contusorum Libras sex,
Aquae communis Libr. viginti;
maceratis per biduum adde
Salis communis Libras duas,
et destillationem institue, donec Aquae trientes duae transierint. Post 24 horas Oleum in fundo subsederit. Liquorem innatantem in vesicam refunde, et addita Aquae s. q. denuo destillationem institue, idque ter quaterque repete, quamdiu Oleum adhuc elicitur. Sepone destillatum ad subsidentiam per 24 horas, tum Oleum lege artis collige. *Vis:* stomachica.

Oleum recens coloris straminei, dein flavi, tandem rubri, sit limpidum, pond. spec. 1,03 — 1,04, fragrantissimum, saporis aromatici, proprii vehementer linguam urentis.

OLEUM CASCARILLAE. Cascarillaöl. *Huile de Cascarille.*

Paretur sicut Oleum Caryophyllorum. Ph. Polon. recepit.

### OLEUM CASSIAE vid. Oleum Cinnamomi.

OLEUM CASTOREI. Bibergeilöl. *Huile de Castoreum.*

Ph. Hisp. Rec. Castorei Unc. duas, Ol. Olivar. Libr. duas, Vini albi generosi Unc. quatuor, coque ad humiditatis consumtionem. Ph. Wirt. Castorei Drachm. duas, Cyperi rotundi, Pyrethri, Sabinae, Schoenanthi āā Drachm. duas et semis, Spicae Nardi, Cinnamomi. Costi Arab., Cubebarum, Croci āā Drachm. duas, Piperis longi, — nigri āā Drach. duas et semis, Vini albi, Ol. Olivar. āā Libr. semis, coque ad humidi consumtionem.

OLEUM CATAPUTIAE MINORIS, s. Lathyridis. Springkörneröl. *Huile d'Epurge.*

Semina Cataputiae minoris (Euphorbiae Lathyridis Linn.) contusa in prelo torculari ex sacculo linteo exprimantur. Oleum decanthatione et filtratione depuretur. Ope Naphthae Vitrioli quoque elici potest. Semina contusa Naphthae pari pondere irrigentur, tum exprimantur. Destillatione ex balneo aquae Naphtha elicitur et Oleum remanet. *Vis*: drastica. Ph. Gall. 1837 recepit.

OLEUM CATELLORUM. Hundeöl. Praeparatum ineptissimum ex canibus neonatis, oblivioni tradendum.

### OLEUM DE CEDRO RECTIFICATUM. Rectificirtes Citronenöl.

Oleum de Cedro venale bonae notae rectificatione minime eget pro usu officinali, at si tempore vel casu quodam fortuito adulteratum fuerit destillatione cum aqua ex retorta rectificetur.

OLEUM CERAE s. Cerae empyreumaticum. Wachsöl. *Huile de Cire.*

Rec. Cerae flavae Libr. unam, in retortam ingere ut haec dimidia fere repleatur; reliquum spatium arena lota reple, et destillationem institue igne primum moderatiore tum sensim aucto ut cera tota decomponatur. Aquam acidulam, Oleum et deinde Butyrum, ut ajunt, Cerae separata excipe, et Oleum altera destillatione rectifica. Vis diuretica quondam praedicabatur.

Alii Codices loco Arenae Calcariam ustam sumi volunt.

OLEUM CEREFOLII destillet ex Herba Chaerophylli silvestris sicut Oleum Absinthii.

## OLEUM CHAMOMILLAE. Kamillenöl. *Huile de Camomille.*

*Synon.*: Oleum Chamaemeli, s. Anthemidis coeruleum, Aetheroleum Chamomillae.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0616-3
DFG

Destillet ex Floribus Chamomillae vulgaris sicut Oleum Absinthii. *Vis*: excitans, antispasmodica.

Oleum coloris saturate coerulei, consistentiae butyraceae, saporis amari, odoris Florum Chamomillae.

Oleum Chamomillae aethereum saepius in laboratoriis pharmacopolarum in paranda Aqua Chamomillae parergon obtinetur.

OLEUM CHAMOMILLAE CITRATUM. Citronenölhaltiges Kamillenöl.

Ph. Slesv.-Hols. Rec. Flor. Chamomillae vulgaris eodem anno collectorum Libr. triginta, in vesicam destillatoriam immissis insperge Olei Corticis Citri Unc. semis (Ph. Bor. ed. 5 Unc. unam et semis) et affunde Aq. comm. q. s. et fiat lege artis destillatio. Oleum destillatum et Aquam destillatam cum nova Florum Chamomillae et Olei de Cedro praescripta copia, addita Aquae comm. s. q., tamdiu destillet, donec Olei desiderata copia obtenta fuerit. Sit coloris saturate coerulei, odoris fragrantis Florum Chamomillae, saporis penetrantis longe persistentis. Hoc Oleum sec. Ph. Slesv.-Hols. et Bor. dispensetur, nisi Oleum Chamomill. simplex vel purum praescriptum fuerit, quae quidem ordinatio satis inconcinna videtur, quia medicus justum nomen, addito cognomento citrati, conscribere potest.

OLEUM CHAMOMILLAE COCTUM s. infusum. Gekochtes Kamillenöl. *Huile gras de Camomille.*

Paretur sicut Oleum Absinthii coctum. Varietas lectionum eadem quoque sicut voce citata. Plane supervacaneum est. Rancorem cito contrahit et colorem amittit.

OLEUM CHAMOMILLAE ROMANAE, Oleum Anthemidis. Römiſchkamillenöl. ***Huile de Camomille romaine.***

Ph. Lond. Oleum Chamomillae ex Anthemide nobili parari jubet. Est Oleo Chamomillae vulgaris persimile.

OLEUM CHAMOMILLAE TEREBINTHINATUM. Terpenthinölhaltiges Kamillenöl. ***Huile de Camomille terebinthinée.***

Ph. Bor. ed. 5. Rec. Florum Chamomill. Libr. sexaginta, in vesicam destillatoriam immissis affunde Olei Terebinthinae Unc. duodecim, Aq. comm q. s. Destillationem institue et Oleum coloris dilutioris coerulei l. a. separa. Color coeruleus facile amittitur. Formula inconcinnissima.

OLEUM CHEIRI. Goldlacköl.

Ph. Palat., Wirt. Flor. Cheiri, Ol. Olivar. par pondus ad humidi consumtionem coqui volunt.

OLEUM CHENOPODII. Gänſefußöl.

Destillatione paretur ex Seminibus contusis Chenopodii anthelminthici sicut Oleum Absinthii.

OLEUM CHRYSOMELINUM. Aprikoſenöl.

Est Oleum expressum ex nucleis Pruni Armeniacae, ad modum Olei Amygdalarum dulcium parandum, in cujus locum quoque adhibetur.

OLEUM CICINUM s. Oleum Ricini americani s. Jatrophae Curcadis. Barbadosnußöl.

Expressione paratur ex Seminibus Jatrophae Curcadis contusis.

† OLEUM CICUTAE. s. Conii coctum. Gekochtes Schierlingsöl.

Coctione paretur ex Herba recente siccata Conii maculati cum Oleo Olivarum sicut Oleum Absinthii coctum.

## OLEUM CINNAMOMI.
## Zimmtöl. *Huile de Canelle.*

*Synon.*: Oleum Cassiae Cinnamomeae, Oleum Cinnamomi Zeylanici, Aetheroleum Cinnamomi.

Destillatione paretur ex Cortice Cinnamomi acuti sicut Oleum Caryophyllorum.

Coloris lutescentis, mox fulvi, pond. spec. 1,035 — 1 044, fragrantissimum, saporis primum dulciusculi, dein calidi, peraromatici, pungentis.

OLEUM CINNAMOMI INDICI s. Cassiae aethereum. Zimmtkaſſienöl.

Paretur ex Cortice Cassiae Cinnamomeae (Cinnamomum indicum) sicut Oleum Caryophyllorum. Minus fragrans quam antecedens, cetera ipsi persimile.

OLEUM CITRI BIGARRAGIAE.

Ph. Gall. 1837. Destillatione cum aqua communi paretur sicut Oleum Absinthii ex fructibus Citri Bigarragiae.

OLEUM CITRI RECTIFICATUM. Rectificirtes Citronenöl.

Codices quidam Oleum de Cedro venale iterum destillare suadent, alii ex ipso cortice parari volunt. At Oleum de Cedro (I, p. 192) satis purum atque genuinum in mercatura obvium est, quam quod tali repurgatione egeat. Si oleis aethereis vilioribus mixtum est, destillatione ab illis non liberatur Accedit quod Oleum de Cedro odoramentum atque condimentum potius est, quam medicamentum.

† OLEUM COCOGNIDII s. Mezerei. Seidelbaſtſamenöl. ***Huile de semences de Garou.***

Ph. Hamb. 1835. Rec. Sem. Mezerei re-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0617-9 DFG

centiorum caute decorticatorum q. v., contunde lege artis et frigide exprime.

OLEUM COCOIS BUTYRACEAE vid. Oleum Palmae (I, p. 197).

OLEUM COLOCYNTHIDIS s. anthelminthicum, s. Habacuci. Coloquintenöl.

Ph. Brunsv., Wirt. Rec. Ol. Absinth. coct., — Rutae coct. Fellis Tauri Libr. semis, Colocynthid., Rad. Hellebori nigri āā Drachm. unam, Aq. commun. Unc. duas, coque ad humiditatis evaporationem, cola cum expressione. Ph. Herbip. Hb. Absinth. rec. Unc. sex, Rad. Hellebori nigr., Pulp. Colocynth., Sem. Cinae āā Unc. unam, incisis et contusis affunde Ol. Olivar. Libr. tres et semis, macerata per 8 dies coque ad humidi evaporationem, colatis adde Ol. Petrae rubr., — Ricini āā Drachm. decem.

OLEUM CONII, Oleum cum Foliis Cicutae. Schierlingöl. *Huile de Ciguë.*

Ph. Gall. 1837. Rec. Hb. Conii recent. contus. Libr. unam, Ol. Olivar. Libr. duas, igne leni coque ad humidi evaporationem, tum digere per horas duas et cola cum expressione.

OLEUM CONYZAE COMPOSITUM, s. Momordicae compositum, Oleum Aregonis.

Ph. Hisp. Rec. Folior. Conyzae majoris (Erigeron. viscosum Linn.), — Laureolae, — Cucumeris agrest., — Calaminth., — Rorismar., — Majoran., — Thymi, — Rutae, — Lauri, Sabinae, — Salviae āā Unc. quatuor, Rad. Bryoniae, — Ari, — Cucumer. agrest. āā Unc. duas, Ol. Olivar Libr. decem, macerata per 4 dies coque ad humidi dissipationem, cola cum expressione.

## OLEUM CORIANDRI. Korianderöl. *Huile de Coriandre.*

Destillatione cum aqua paratur ad modum Ol. Absinthii ex Semine Coriandri sativi.

OLEUM CORNU CERVI RECTIFICATUM vid. Oleum animale Dippelii.

OLEUM CORYLI est Oleum pingue expressum ex Nucleis Coryli Avellanae. Ph. Gall. 1837 recepit.

OLEUM COSTINUM Ph. Wirt.

Rec. Costi amari Unc. duas, Hb. Majoranae florent. Unc. octo, Ol. Olivar. Libr. unam et semis, Vini albi Unc. duas, digere ad siccum, cola cum expressione.

OLEUM CROCI. Safranöl. *Huile de Safran.*

Rec. Croci Unc. unam, Rad. Calami, Cardamomi min. āā Unc. unam et semis, Vini alb. Libr. semis, Ol. Olivar. Libr. unam et semis, coque ad siccum, exprime. Ph. Palat. Croci Unc. semis, Myrrh. Drachm. duas, Cardamom. Unc. semis et Drachm. semis, Ol. Olivar. Unc. novem, coque ad siccum.

## OLEUM CUBEBARUM. Kubebenöl. *Huile de Cubèbes.*

Destillatione paretur ex Cubebis contusis sicut Oleum Absinthii. Coloris subflavescentis, spissiusculum, pond. spec. 1,035. Ph. Hamb. 1835 et Saxon. receperunt. Ph. Sard. quoque habet.

OLEUM CUCUMERIS SEMINUM est Oleum expressum ex Seminibus Cucumeris sativi.

OLEUM CUCURBITAE vid. Balsamum pleuriticum (p. 119).

## OLEUM CUMINI. Römischkümmelöl. *Huile de Cumin.*

Destillatione paretur ex Seminibus Cumini Cymini contusis. Coloris e virescente flavi, pond. spec. 0,975, odoris gravis, saporis fervidi aromatici.

OLEUM DICTAMNI CRETICI. Cretisch Diptamöl.

Destillatione paretur ex Herba Origani Dictamni.

OLEUM DIPPELII vid. Oleum animale Dippelii.

OLEUM EMPYREUMATICUM ANIMALE vid. Oleum Cornu Cervi (I, p. 193) et Oleum animale Dippelii (II, p. 591).

## OLEUM EMPYREUMATICUM E LIGNO FOSSILI. Braunkohlenöl. *Huile de Lignite.*

Rec. Ligni fossilis (Braunkohle) q. v., immitte in retortam vitream (vel ferream) et destillatione sicca Oleum extrica, quamdiu hoc prodit. Oleum, pix quasi liquida, a liquore pyracetico simul prodeunte separetur, tum destillatione altera ex retortula munda rectificetur. Oleum tenue, decolor, tempore colorem fuscum induens, odoris empyreumatici penetrantis. Continet Creosotum et Paraffinum. *Vis*: antarthritica eximia. *Usus*: in arthritide, paralysi, hysteria. Vide Pilulae Dris Lucas.

OLEUM ENULAE COMPOSITUM Ph. Hisp.

est mixtio absurda oblivione dignissima.

OLEUM EUPHORBIAE LATHYRIDIS vid. Oleum Cataputiae minoris.

OLEUM EUPHORBII. Euphorbiumöl. *Huile d'Euphorbe.*

Ph. Wirt. Rec. Euphorbii triti Unc. semis, Olei Cheiri (vel Olivarum) Unc. quinque, coque, additis Vini Unc. duabus, ad humiditatis dissipationem.

OLEUM FABARUM PICHURIM. Pichurimöl.

est oleum unguinosum expressione ex Fabis Pichurim obtentum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0618-5 DFG

OLEUM FILICIS vid. Extractum Filicis Maris aethereum (p. 400).

OLEUM FLORUM AURANTII vid. Oleum Neroli (I, p. 195).

OLEUM FLORUM SAMBUCI. Hollunderöl. *Huile de Sureau.*

Ph. Gall. 1837. Oleum coctum est ex Flor. Sambuci siccis Unc. una et Ol. Olivarum Unc. octo paratum.

OLEUM FLORUM SLOTANI Ph. Wirt. est mixtio ineptissima

## OLEUM FOENICULI. Fenchelöl. *Huile de Fenouil.*

*Synon.*: Oleum Seminis Foeniculi, Aetheroleum Foeniculi.

Destillatione paretur ex Seminibus Foeniculi sicut Oleum Anisi.

Coloris flavescentis, pond. spec. 0,974, saporis dulciusculi, proprii mitis, similisque odoris.

OLEUM FORMICARUM. Ameiſenöl.

Disp. Brunsv., Ph. Wirt.: Rec. Formicarum Unc. quatuor, Ol. Olivar. Unc. unam, digesta per 20 dies cola.

OLEUM FOENUGRAECI Foenugrecöl. *Huile de Fenugrec.*

Ph. Gall. 1837. Rec. Sem. Foenugraeci cont. Unc. unam, Ol. Olivar. Unc. octo, digere, filtra.

OLEUM FULIGINIS Rußöl. *Huile de suie.*

Destillatione sicca Fuliginis splendentis obtineri suadetur.

OLEUM GALBANI, Galbanetum Paracelsi, Oleum Galbani compositum. Mutterharzöl.

Oleum Galbani purum destillatione Galbani cum aqua obtinetur. At hoc quidem non praescriptum invenitur; Oleum compositum Ph. Hisp. paratur destillatione circa Galbani, Gummi Hederae, Elemi, Olei laurini ${\bar{a}\bar{a}}$ pond. aequalium. Usus externus. Ph. Sard. Galbani Libr. unam, Gummi Hederae Unc. tres, Ol. Laurini, — Lavendul. ${\bar{a}\bar{a}}$ Unc. unam; mixta destillent. Ph. Wirt. Galbanum cum arena destillari vult.

OLEUM GUALTHERIAE. Canadiſchtheeöl. *Huile de Gaulthérie couchée.*

Destillatione cum aqua ex Herba Gualtheriae procumbentis paretur. Ph. Amer.

OLEUM GUMMI GALBANI vid. Ol. Galbani, cet.

OLEUM HABACUCINUM vid. Oleum Colocynthidis

OLEUM HELENII vid. Ol. Enulae.

OLEUM HELIANTHI Erdartiſchockenöl. *Huile de Topinambour.*

Oleum pingue expressum ex seminibus Helianthi tuberosi.

OLEUM HERBARUM Willeri. Willer's Kräuteröl.

Fraude insolente per totam Germaniam contra capillorum jacturam laudibus elatum ex Oleo Olivarum (Unc. duabus) cum Rad. Alkannae (Gran. decem) tinctum et Ol. Bergamottae (Scrup. uno) conditum constat.

## OLEUM HYOSCYAMI COCTUM s. INFUSUM. Bilſenkrautöl. *Huile de Jusquiame.*

Paretur ex Herba Hyoscyami sicut Oleum Absinthii coctum. Est coloris intense viridis. Usus externus. Virtutibus anodynis narcoticis an gaudeat, ignoratur.

† OLEUM HYOSCYAMI EXPRESSUM. Bilſenſamenöl. *Huile de semences de Jusquiame.*

Expressione paretur ex Seminibus Hyoscyami bene contusis sicut Oleum Amygdalarum dulcium. Ex placentis semel expressis Aquae pauxillo addito alteram olei vim elici affirmatur.

## OLEUM HYPERICI COCTUM, Balsamum Hyperici simplex, Oleum perfoliatae infusum. Johannisöl.

Ex floribus Hyperici paretur sicut Oleum Absinthii coctum. Est coloris laete rubelli, in quem finem a Codicibus permultis frustulo Radicis Alkannae tingi praecipitur. Oleum pingue in ipso spectandum.

OLEUM HYPERICI COMPOSITUM. Ph. Parm.

Rec. Summitat. Hyperici Libr. duas, Ol. Olivar. Libr. duas et semis, digere, exprime, in colatura solve Olibani Drachm. tres, Terebinth Venet. Unc. sex, adde Croci Scrup. quatuor; digestum decantha a Croco.

## OLEUM HYSSOPI. Hyſſopöl. *Huile de Hysope.*

Destillatione cum aqua paretur sicut Oleum Absinthii.

OLEUM IREOS s. irinum. Veilchenwurzelöl. *Huile d'Iris florentine.*

Ph. Palat. Rec. Rad. et Florum Ireos, Ol. Olivarum ${\bar{a}\bar{a}}$ par. pond., coque leni igne ad humidi consumtionem. Ph. Hisp. Rad. recent. Ireos Libr. unam, Ol. Olivar. Libr. duas, coque uti supra; Disp. Brunsv. Succi Rad. Ireos, Ol. Olivar. ${\bar{a}\bar{a}}$ par. pondus, coque uti supra dictum est.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0619-3
DFG

OLEUM JASMINI. Jasminöl. *Huile de Jasmin.*

Est odoramentum ex Oleo Olivarum et Floribus Jasmini per macerationem longam paratum.

OLEUM JATROPHAE vid. Oleum cicinum.

OLEUM JUGLANDIS REGIAE. Baumnußöl. *Huile de Noix.*

Oleum pingue ex nucleis maturis bene siccatis Juglandis regiae, putaminibus remotis, in prelo torculari expressum.

Oleum saporis mitis, facile rancescit atque resinascit. Nuclei non satis bene siccati sacculos rumpunt.

## OLEUM JUNIPERI. Wachholderbeeröl. *Huile de Fruits de Genèvrier.*

*Synon.* Oleum baccarum Juniperi, Oleum Juniperi ex baccis, Oleum catharticum, Oleum Alchitri, Aetheroleum baccarum Juniperi.

Destillatione cum aqua paratur ex baccis maturis, recenter collectis, contusis Juniperi communis.

Oleum tenue, coloris pallidi, pond. spec. 0,860- 0,871. In spiritu vini rectificatissimo difficulter dissolvitur, in alcohole absoluto facile.

OLEUM JUNIPERI E LIGNO. Oleum Ligni juniperini. Wachholderholzöl. *Huile de bois de Genèvrier.*

Destillatione cum aqua ex Ligno Juniperi communis obtinetur.

OLEUM KERVIUM vid. Oleum Ricini (I, p. 198).

OLEUM LATERICIUM vid. Oleum philosophorum.

OLEUM LAURINUM (I, p. 194.

† OLEUM LAURI CERASI. Kirſchlorbeeröl. *Huile de Laurier-cerisier.*

Destillatione ex foliis recentibus Pruni Lauro-Cerasi cum aqua obtinetur. Cohobitione opus est. Oleum venenosissimum quoad vires et qualitates Olei Amygdalarum amararum persimile, cautissime servetur in vitris parvis optime munitis subter Aqua submersis.

OLEUM LAXATIVUM Vogleri Weilb.

Rec. Resin. Jalapp. Gran. novem, Sapon. Venet. Gran. tria ad novem, bene mixta subige cum Ol. Olivar. Unc. una et semis.

OLEUM LIGNI FOSSILIS vide Oleum empyreumaticum Ligni fossilis.

OLEUM LIGNI SANTALI CITRINI. Santelholzöl.

Ph. Wirt. E ligno Santali citrino cum Aqua et Salis communis parte sexta destillare jubet.

OLEUM LILIORUM ALBORUM. Weißlilienöl. *Huile de Lis blanc.*

Rec Petalorum Liliorum alborum recentium, Olei Olivarum par pondus, digere parum in balneo Mariae, tum exprime.

Codices non nisi de ponderum ratione discrepant, quod accuratius discutere in re tam exigua operae pretium non est.

OLEUM LINI RECENS PARATUM. Friſchbereitetes Leinöl.

Ph. Slesv.-Hols. Oleum ex Semine Lini contuso ad modum Olei Amygdalarum dulcium recens exprimi jubet.

OLEUM LINI SULPHURATUM vid. Balsamum Sulphuris simplex (p. 122).

OLEUM LINI CUM CALCE vid. Linimentum ad ambustiones (p. 509).

OLEUM LUMBRICORUM Regenwürmeröl. *Huile de vers de terre.*

Rec. Lumbricorum terrestrium vino lotorum Libr. unam, Ol. Olivarum Libr. duas, digere per tres dies et cola.

OLEUM MACASSAR ARTIFICIALE Henkenii.

Rec. Ol. recentis Helianthi grandiflori Unc. tres, Axung. Anseris, — Porci aa Unc. semis, Storac. liquid., Ol. Ovor. aa Drachm. duas, Ol Neroli Drachm. unam, Ol. Thymi Drachm. duas, Balsami Peruv. Gran. decem, Ol. Rosar. Gran unum, Butyr. Cacao Drachm. duas; misce leni calore.

## OLEUM MACIDIS. Macisöl. *Huile de fleurs de Macis.*

*Synon.* Oleum Nucistae aethereum, Oleum Nucis moschatae destillatum. *Huile de fleurs de Muscade.*

Destillatione cum aqua paretur ex Macide sicut Oleum Anisi.

Coloris fulvi, paululum spissum, pond. spec 1,040, odoris Macidis grati, saporis ab initio mitis, postea acris.

## OLEUM MAJORANAE. Majoranöl. *Huile de Marjolaine.*

Destillet ex Herba Majoranae florente concisa sicut Oleum Absinthii.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0620-4 DFG

Recens coloris viridi-flavescentis, tandem fusci, facile lentescens, pond. spec. 0,980, odoris minus grati quam herba.

OLEUM MAJORANAE INFUSUM. Aufgegoſſenes Majoranöl.

Ph. Wirt., Brunsv. Rec. Hb. Majoranae recent., Ol. Olivar. Libr. unam, macerata coque ad humidi evaporationem, tum cola expressione.

OLEUM MANDRAGORAE COCTUM paretur sec. Ph. Gall. 1837 sicut Oleum Conii ejusdem Pharmacopoeae ex Herba recente Atropae Mandragorae.

**OLEUM MARTIS**, s. Oleum Martis per deliquium, Liquamen Martis, Lixivium Martis, Liquor Ferri muriatici oxydati, Liquor subbichloreti Ferri, Liquor stypticus Lofi, Eiſenöl, ſalzſaure Eiſenoxydflüſſigkeit. *Muriate de Fer liquide.*

Rec. Ferri muriatici oxydati crystallisati, secundum nostram formulam (p. 429) parati Unc. unam, solve in Aquae destillatae Unc. una. *Filtratione plerumque non opus est. Liquor intense rubro-fuscus, impellucidus fere in vitris amplioribus, reactionem acidam prae se ferens.*

Ph. Slesv.-Hols. Ferri muriatici sublimati partes quatuor, Aq. dest. part. sex.

Ph. Boruss. ed 5. Ferri oxydati rubri Unc. quatuor, coque in Acidi Salis Unc. sedecim per horas duas in cucurbita vitrea, liquor in balneo vaporis evaporet, donec pond. spec. sit 1,495 — 1,505. Haec methodus operosa atque inconcinna est. Liquor enim *tali modo* paratus acidum sulphuricum continet ex oxydo Ferri rubro abreptum; praeterea peracidus est, et majorem Alkali copiam pro decompositione requirit, quam pro Oxydo Ferri praecipitando opus est. Ph. Saxon. 1837 hac in re temere Borussicam secuta est. Plures denique codices per varias ambages Oleum Martis parare docent, pro rei summa vero productum cum nostro convenit, quare has varietates praeteriri aequum est. Ferrum muriaticum oxydatum crystallisatum deliquescentiae spontaneae expositum sui ponderis dimidium Aquae tantum ex aëre colligit.

OLEUM MASTICHINUM s. Mastichis. Maſtixöl.

Ph. Wirt. Rec. Ol. rosati Libr unam, in qua leniter coquendo dissolve Mastichis Unc. tres.

OLEUM MELILOTI s. Meliloti coctum. Steinkleeöl, Melilotenöl.

Ph. Gall. siçut Oleum Belladonnae suum.

**OLEUM MENTHAE CRISPAE.** Krauſemünzöl. *Huile de Menthe crepuë.*

Destillet ex Herba recente concisa Menthae crispae sicut Oleum Absinthii.

Est coloris flavescentis, interdum viriduli, perliquidum, pond. spec. 0,898, fragrans, saporis proprii, amariusculi, subrefrigerantis.

OLEUM MENTHAE CRISPAE TEREBINTHINATUM. Terpenthinölhaltiges Krauſemünzöl. *Huile de Menthe crepuë terebinthinée.*

Rec. Hb. Menth. crisp. recent. Libr. triginta, Ol. Terebinthinae Libr. duas, Aq. comm. q. s., destillent, Oleum innatans Aquae separetur.

**OLEUM MENTHAE PIPERITAE.** Pfeffermünzöl. *Huile de Menthe poivrée.*

Paretur ex Herba Menthae piperitae recente concisa sicut Oleum Absinthii.

Coloris flavescentis, pond. sp. 0,909, fragrans, saporis camphoracei, aestum ori excitantis, dein refrigerantis.

OLEUM MENTHAE PULEGII. Poleiöl. *Huile de Pouliot.*

Ph. Lond. 1836. ex Herba recente Menthae Pulegii destillare jubet.

OLEUM MENTHAE VIRIDIS. Gartenmünzöl. Frauenmünzöl.

Ph. Lond. ex Herba recente Menthae viridis parari docet.

† OLEUM MEZEREI. Seidelbaſtöl. *Huile de Garou.*

Rec. Corticis Mezerei Libr. unam, grossiuscule concisum et cum Spiritu Vini s. q. humectatum in mortario ferreo vel aheneo summa cum vi in massae fibrosae tumidae speciem contunde, cui infunde in vase apto Olei Olivarum Libr. duas, et post justam digestionem fortiter exprime; expressum filtra.

Hanc praeparandi methodum Coldefy docuit, quae ad finem extrahendi optime conducit. Alii Corticem cum aqua primum digeri, tum cum Oleo coqui volunt. At Mezerei virtutes vesicantes absque Aquae adminiculo ab Oleo suscipiuntur.

† OLEUM MEZEREI SEMINUM vid. Oleum Cocognidii.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0621-0 DFG

**OLEUM MILLEFOLII** s. **Millefolii aethereum.** Schaafgarbenöl. *Huile de Millefeuille.*

Destillatione paretur ex Summitatibus florentibus Millefolii per destillationem. Ph. Saxon. 1837, Fuld., Wirt.
Coloris cyanei est.

**OLEUM MIXTUM** Ph. Saxon.

Haec pharmacopoea in locum Oleorum coctorum miscelam non inconcinne proposuit, quae ex Unc. una Olei Olivarum, et Gutta una Olei aetherei cujusvis e. g. Absinthii, vel Chamomillae conflatur.

**OLEUM MIXTUM** Stamfordi. Lord Stamford's mixed oil. Stamford's Gemengöl.

Rec. Ol. Origani Drachm. sex, Ol. Terebinth. Unc. viginti, Spir. Vini rect. Unc. quatuordecim, Ol. laurin. Libr. sex, Camph. Unc. tres.

**OLEUM MOMORDICAE.** Eſelsgurkenöl. *Huile de Cocombre sauvage.*

Cod. veteres: Rec. Fruct. matur. Momordicae Elaterii part. unam, Ol. Olivar. part. duas, digere, exprime.

**OLEUM MONARDAE** Ph. Amer.

Ex Herba Monardae punctatae destillatione paretur.

**OLEUM MOSCHATUM.**

Taddei ex Moschi Drachm. duabus et Olei Olivar. Unc. una et semis digestione et expressione parari proponit.

**OLEUM MUCILAGINOSUM** s. de mucilaginibus. Schleimſamenöl.

Ph. Sard. Rec. Rad. Althaeae, Bulb. Lilior., Sem. Foenugraeci $\overline{aa}$ Unc unam, Aq. comm., Ol. Olivar., — Lini $\overline{aa}$ Libr. duas, primum mucilaginem para cum Aqua, deinde hanc cum oleo ad humidi consumtionem coque, denique colaturam digere cum Flor. Lilior., — Chamomill. $\overline{aa}$ Libr. una, digere et exprime. Van Mons: Sem. Foenugraeci, — Lini $\overline{aa}$ Unc. unam, Ol. Olivar. Unc. octo, digesta in balneo arenae exprime.

**OLEUM MYRRHAE.** Myrrhenöl. *Huile de Myrrhe.*

Ph. Bor. ed. 5. Rec. Myrrhae Libr. duas, Aq. comm. Libr. sedecim, fiat destillatio ex vesica destillatoria, quamdiu Oleum a empyreumate liberum prodit. Oleum a liquido separa. Sit coloris albidi flavescentis. (Conf. praeterea Liquamen Myrrhae p. 515). Alii Myrrham cum arena destillationi siccae exponi inepte suaserunt.

**OLEUM MYRTINUM.** Myrthenöl. *Huile de Myrte.*

Ph. Sard. Rec. Bacc. Myrt. cont. Libr. duas, Fol. Myrt. concis. Unc. unam, Ol. Olivar. Libr. quatuor, Aceti Libr. unam; coque ad humidi consumtionem. Ph. Hisp. Fol. ex Fruct. Myrt. Libr. tres, Ol. Olivar. Libr. octo, digere per triduum ad humidi evaporationem et exprime.

**OLEUM MYRTI PIMENTAE,** Aetheroleum Pimentae, Oleum Piperis Jamaicensis. Jamaicapfefferöl, Pimentöl. *Huile de Poivre de la Jamaique.*

Destillatione paretur ex Seminibus Amomi (Myrti Pimentae I, p. 308) sicut Oleum Absinthii vel Anisi. Alii Sal commune in vesicam adjicere suadent. Oleum subfuscum pond. spec. 1,021. *Vis*: excitans. *Usus*: in stomacho debili, colica, tympanitide.

**OLEUM DE NARCOTICIS** vid. Balsamum tranquillans (p. 123).

**OLEUM NICOTIANAE.** Tabacksöl.

Ph Wirt. Rec. Hb. Nicotianae recent. Libr. unam, Ol. Olivar. Libr. sedecim, coque ad humidi evaporationem et exprime.

**OLEUM NUCUM JUGLANDUM** vid. Oleum Juglandis.

**OLEUM ORIGANI.** Doſtenöl. *Huile d'Origan commun.*

Destillet cum Aqua ex Summitatibus florentibus Origani communis vel cretici, si desideratur. In dentium doloribus gossypio imbutum dentibus adesis immittitur.

**OLEUM OVORUM,** s. e vitellis Ovorum, Oleum ovorum expressum. Eieröl. *Huile d'oeufs.*

Rec. Vitellos ovorum gallinaceorum q. v., immitte in sartaginem stanneam vel argenteam, hanc in balneam aquae vel calcariae muriaticae impone, et inter assiduam agitationem eo usque humiditatem consume, ut oleum digitorum vi facile exprimi possit. Tum massam in sacculum linteum conjice, et inter laminas, immersione in aqua fervida calefactas, fortiter exprime. Oleum expressum in loco tepido filtra, et in lagenulis parvis ex toto repletis, optime clausis, sub aqua immersis serva.

Est oleum coloris citrini, odoris ovorum, saporis dulcis grati, spissiusculum, calore facillime liquescens.

Alii Codices vitellos coctione induratos et nunc ex ovis exemtos in sartagine leni calore usque ad rufescentiam calefieri, tunc sacculo inclusos exprimi proponunt. Oleum hac methodo paratum colorem intensiorem induit atque ad rancorem pronissimum est. Denique Oleum Ovorum cum Naphtha Vitrioli paratur. Ph. Gall. 1837 tali modo procedi jubet. Vitelli Ovorum recentes in sartagine leni calore eo usque exsiccentur, donec in pultem semi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0622-6
DFG

liquidam abierint. Hanc frigefactam in lagenam immitte et adde Naphtham Vitrioli et miscelam bene concute. Post horas 24 totum in infundibulum vel tubum vitreum inferne in apicem desinentem infunde et solutionem aethercam fac emanare. Naphtham iterum infunde, quamdiu haec colore citrino tincta prodit, denique ope aquae infusae Naphtham expelle. Naphtham destillatione evoca, et oleum remanens per chartam bibulam adhuc calidum filtra. Alii denique vitellos ovorum recentes cum trigintupla copia aquae fortiter conquassari, tum adjecto septuplo pondere Naphthae Vitrioli iterum conquassari jubent, et Naphtham oleosam, aquae innatantem destillatione elici, oleum residuum denique filtrari volunt.

OLEUM OXYDI CUPRI VIRIDE vid. Balsamum viride (p. 123).

OLEUM PALMAE CHRISTI vid. Oleum Ricini.

OLEUM PAREGORICUM Disp. Fuld.

Rec. Ol. Hyoscyami Sem. express. Unc. semis, — Petr. alb. Drachm. duas, — Bacc. Juniperi aeth., — Succini āā Gutt. decem.

OLEUM PERFOLIATAE INFUSUM vid. Oleum Hyperici.

## OLEUM PETRAE RECTIFICATUM. Rectificirtes Steinöl. *Pétrole rectifié.*

Ph. Hamb.: Oleum Petrae album in retorta cum aquae sextuplo destillet, quamdiu coloris expers prodit. Oleum ab aqua separatum leni calore siccetur in vase vitreo aperto in balneo aquae. Destillatio citius cedit absque aqua. Oleum Petrae cum Oleo Vitrioli conquassatum colorem quoque amittit et absque destillatione repurgari potest. Sed haec methodus non adeo certe eundem finem consequi concedit, et variis casibus obnoxia est.

## OLEUM PETROSELINI s. Petroselini aethereum. Peterſilienſamenöl. *Huile de Persil ordinaire.*

Destillet cum Aqua ex Seminibus Apii Petroselini contusis sicut Oleum Anisi.

OLEUM PEUCEDANI AETHEREUM. Saufenchelöl. *Huile de Fenouil de porc.*

Ph. Sard. Destillet cum aqua ex Radice Peucedani officinalis.

## OLEUM PHILOSOPHORUM, Oleum latericium s. laterum, Oleum Olivarum empyreumaticum, s. empyreumaticum commune. Ziegelöl, brenzliches Olivenöl. *Huile empyreumatique, Huile de briques.*

Rec. Laterum contusorum q. v., impraegnentur Oleo Olivarum, quantum ab eis imbibitur, ex retorta (ferrea si est in promtu) destillatio instituatur igne sensim aucto, quamdiu liquida prodeunt. Oleum a phlegmate separatum iterum destillet ut rectificetur. Obsolevit.

## † OLEUM PHOSPHORATUM. Phoſphoröl. *Huile phosphoré.*

Rec. Olei Amygdalar. dulc. Unc. unam, immitte in lagenulam vitream, quae tota fere ab oleo repleatur, adde Phosphori Gran. duodecim et epistomium impone, cavens ut aëris parva copia lagenulae adhuc insit. Hanc in balneum aquae fervidae impone, interdum bene concute, et has operationes per horae quadrantem perge. Oleum refrigeratione limpidefactum in lagenulas minutas ex toto replendas, et subter aqua servandas immitte, cavens ut Phosphorus in fundo concretus relinquatur. Ph. Bor. ed. 5 et Slesv.-Hols. hanc formulam secutae sunt. Ph. Hamb. 1835 Phosphori Gran. decem, Camphor. Scrup. unum, Ol. Amygdal. Unc. unam, misce uti supra.

Lescot: Phosphori Unc. unam (nimium), Ol. Olivar. Unc. sedecim, reposita in locum obscurum *interdum concute per dies quatuordecim, adde Ol. Bergamottae guttulas aliquot.*

OLEUM PIMENTAE vid. Oleum Myrti Pimentae.

OLEUM PINGUE VIRIDE ASPARAGI. Grünes Spargelſproſſenöl.

Rec. Turiones Asparagi, exprime succum et residuum ad aërem exsicca; digere per 3 dies cum Spiritus Vini rectificatissimi pondere triplo, Spiritum e tinctura destillatione evoca, et oleum ab extracto aquoso separa. Est oleum intense viride, mox flavescens, spissiusculum, glutinans odoris proprii aromatici, saporis fatui, facile Spiritu Vini, Naphtha et Oleis dissolvitur.

OLEUM PIPERIS JAMAICENSIS vid. Oleum Myrti Pimentae.

## OLEUM PIPERIS NIGRI. Schwarzpfefferöl. *Huile de Poivre noire.*

Paretur sicut Oleum Caryophyllorum ex Pipere nigro contuso. Subflavum est.

OLEUM PISTACIARUM Piſtacienöl. *Huile de Pistaches.*

Exprimatur in prelo torculari ex Nucleis Pistaciarum sicut Oleum Amygdalarum dulcium.

OLEUM PLUMBI vid. Acetum Saturni.

OLEUM PULEGII, Aetheroleum Pulegii. Poleiöl. *Huile de Pouliot.*

Ph. Lond. 1836. Destillet ex Herba recente Menthae Pulegii sicut Oleum Absinthii.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0623-2

OLEUM PURGANS

Rec. Scammonii Scrup. quatuor, dissolve in Ol. Amygdalar. dulc. Unc quatuor

OLEUM PYRO-ANIMALE vid. Oleum animale Dippelii.

OLEUM DE RANIS Cod. veterum.

Ranae cum triplo Olei ad dissolutionem (?) coquantur.

OLEUM RHABARBARI Fuller.

Oleum Amygdalarum dulcium cum pari pondere Rad. Rhabarbari comminutae stratim mixtum digeratur per noctem, tum exprimatur.

OLEUM RICINI ARTIFICIALE Künstliches Ricinusöl. *Huile de Ricins artificielle.*

Hufeland: Rec. Ol. Papaveris Unc. unam, Ol. Crotonis Guttam unam. Vogleri: Resin. Jalapp. Gran. novem, Sapon. Veneti Gran. tria, Ol. Amygdal. dulc. Unc. unam et semis.

OLEUM RORISMARINI vid. Oleum Anthos (I, p. 191).

OLEUM ROSATUM s. cum petalis Rosarum. Fettes Rosenöl. *Huile de Roses pales, Huile rosat.*

Ph. Gall. 1837. Rec. Petalorum Rosae centifoliae recentium Libr. unam, contusis in mortario marmoreo, adde Ol. Oliv. Libr. quatuor macera per tres dies et exprime. Oleum expressum cum nova copia petalorum Rosarum alterum atque tertium contundatur et exprimatur, tunc filtretur. Alii Codices Petala contusa cum Oleo ad humiditatis consumtionem coqui volunt, sicuti Brunsv. et Wirt.

## OLEUM RUTAE. Rautenöl. *Huile de Rue.*

Destillet cum Aqua ex Herba florente recente Rutae graveolentis sicut Oleum Absinthii.

Coloris lucide flavi, pond. spec. 0,890, graveolens, saporis ingrati, acriusculi.

OLEUM RUTAE COCTUM s. infusum. Gekochtes Rautenöl. *Huile gras de Rue.*

Rec Hb. Rutae recentis Libr. unam, contunde, adde Ol. Olivar. Libr. duas, leni calori exponantur, donec humiditas abierit, tum digere adhuc per horas duas, cola cum expressione.

## OLEUM SABINAE. Sevenbaumöl. *Huile de Sabine.*

Destillet ex Ramulis Sabinae recentibus sicut Oleum Absinthii.

Coloris ex albido-flavescentis, perliquidum, pond. spec. 0,924, graveolens, saporis amaro-acris, resinosi.

OLEUM SALVIAE s. Salviae officinalis. Salbeiöl. *Huile de Sauge.*

Destillet ex Herba Salviae officinalis florente concisa sicut Oleum Absinthii.

Coloris flavescentis, perliquidum, pond. spec. 0,864, fragrans, saporis proprii aciduli subcamphorati.

OLEUM SALVIAE SCLAREAE. Scharlachkrautöl. *Huile de Sauge sclarée.*

Destillatione paretur ex Herba florente concisa Salviae Sclareae sicut Oleum Absinthii.

OLEUM SAMBUCI COCTUM. Fliederblumenöl. *Huile de Fleurs de Sureau.*

Ph. Gall. 1837. Rec. Flor. Sambuci sicc. Unc. duas, Ol. Olivar. Unc. sedecim, digere per duas horas et exprime.

OLEUM SAMBUCI VIRIDE ex Foliis recentibus Sambuci et Oleo Olivarum paratur sicut Oleum Conii.

OLEUM SANTALI CITRINI. Santelholzöl.

Ph. Wirt. Rec. Ligni Santali citrini Libr. sex, Aq. comm. Libr. triginta sex, Salis commun. Libr. unam, macerata destillent l. a. Oleum aqua gravius separetur ab aqua.

OLEUM SAPONIS. Seifenöl. *Huile de Savon.*

Rec. Saponis rasi Unc. unam, Arenae lotae Unc. tres, destillent ex retorta ferrea vel vitrea; Oleum obtentum supra cineres rectificetur.

OLEUM SATUREJAE. Satureiöl. *Huile de Sarriette de jardins.*

Ph. Palat. Destillet ex Herba Saturejae florente concisa sicut Oleum Absinthii.

OLEUM SCORBUTICUM Ph. Batean.

Rec. Rad Raphani rust. Unc sex, Hb. Cochlear. recent Unc. duas, Flor. Lavend. Unc. unam, Olei ex Pedibus Bovis Libr. unam, coque leni igne ad Succi consumtionem, expresso adde Acid. muriat Drachm. sex, Spir. Cochlear. Drachm. unam, Ol. Cinnamom., — Caryophyll. āā Drachm. semis, Ol. Origani Scrup. quatuor.

OLEUM SCORPIONUM COMPOSITUM. Zusammengesetztes Scorpionöl. *Huile de Scorpions composée.*

Rec. Scorpionum No. quinquaginta, Ol. Olivarum Libr. unam, Rad. Aristoloch. rotund., — Gentian., — Cyperi, — Rad. Capparid. āā Drachm. sex, digere leni calore et exprime. *Ph. Sard. Scorpion. vivent. No. 300, Ol. Hyperici Libr. quatuor, Hb. Scordii, — Rutae, — Dictamni Cretici, Rad. Zedoar., — Aristoloch. rotund., — Angelicae, — Cro-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0624-8
DFG

ci, Storacis Calamitae $\overline{aa}$ Unc unam, Terebinth. Unc. duas, Elect. Mithridat., — Theriac. $\overline{aa}$ Unc. semis, digere in balneo arenae per aliquot dies et exprime

OLEUM SCORPIONUM SIMPLEX. Einfaches Scorpionöl. *Huile simple de Scorpions.*

Rec. Scorpion. No. quinquaginta, Ol. Olivar. Libr. unam, digere per dies viginti in loco calido, tum ad usum serva (absque colatione).

OLEUM SCROPHULARIAE Van Mons.

Rec. Hb et Rad. Scrophulariae aquaticae part. tres, Ol. Olivar. part. unam, infunde, digere, exprime.

OLEUM SEMINUM FRIGIDORUM. Kaltſamenöl. *Huile de Semences froides.*

Exprimatur in prelo torculari ex seminibus frigidis (Citrulli, Cucumeris, Cucurbitae, Melonum) sicut Oleum Amygdalarum dulcium.

OLEUM SEPTEM FLORUM. Siebenblumenöl. *Huile de sept fleurs.*

Ph. Wirt. Rec. Flor. recent. Violar., — Sambuci, — Rosar., — Chamomill. vulg., — Lilior. albor., — Verbasci, Malvae arbor. $\overline{aa}$ Libr. semis, Ol. Olivar. Libr. tres, coque ad humidi evaporationem et exprime.

OLEUM SERPYLLI. Quendelöl, Feldkümmelöl. *Huile de Serpolet.*

Destillet ex Herba Thymi Serpylli florente concisa sicut Oleum Absinthii.

OLEUM SESAMI ORIENTALIS. Seſamöl. *Huile de Sésame.*

Exprimatur ex Seminibus Sesami orientalis sicut Oleum Amygdalarum dulcium.

## † OLEUM SINAPIS DESTILLATUM. Aetheriſches Senfſamenöl. *Huile essentielle de moutarde.*

Destillatione paretur ex Seminibus Sinapis nigrae contusis et antea expressis sicut Oleum Amygdalarum amararum iisdem cautelis atque encheiresi observatis *Vis:* vesicans praesentissima.

Est flavescens, pond. spec. 1,038, odoris penetrantissimi caustici, nares et fauces pungentis, lacrimarum effluvium ex oculis ciens, cutem citissime atque fortissime irritans, spiritu vini rectificatissimo facile solubile.

OLEUM SINAPIS INFUSUM, Tinctura Sinapis Anglorum Ph. Hamb. 1835.

Rec. Sem. Sinap. nigr. pulv. Unc. unam, oleum antea exprime et digere per triduum cum Ol. Terebinth. Unc. octo.

OLEUM SOLANI NIGRI. Nachtſchattenöl. *Huile de Morelle.*

Ph. Gall. 1837. Infusione paretur sicut Oleum Conii, ex Herba recente Solani nigri. Ph. Hisp. quoque exhibet.

OLEUM SPERMATIS RANARUM. Froſchlaichöl. *Huile de Frai de Grenouilles.*

Disp. Brunsv., Wirt. Rec. Spermat. Ranar., Ol. Olivar. $\overline{aa}$ part. aeq., coque ad humiditatis consumtionem et cola cum expressione.

OLEUM STOMACHALE Spielmann.

Rec. Ol. Absinth. coct. Libr. unam, Mastich. Unc. unam, Ol. aeth. Absinth., — Caryophyll., — Ligni Rhodii $\overline{aa}$ Drachm. semis, — Nucis mosch., — Macid. $\overline{aa}$ Scrup. duos.

OLEUM STRAMONII. Stechapfelkrautöl. *Huile de Stramonium.*

Paretur sec. Ph. Gall. 1837 sicut Oleum Conii ejusd. Pharm.

## OLEUM SUCCINI CRUDUM, Ol. Succini empyreumaticum. Rohes Bernſteinöl. *Huile de Succin brut.*

Rec. Succini in fragmenta comminuti quantum vis, immitte in retortam vitream luto argillaceo loricatam, (vel in vas destillatorium cupreum sive ferreum, alembico vitreo munitum) ut haec dimidia fere repleatur. Retortae excipulum tubulatum ope luti farinacei adjunge, et ex tubulo tubum vitreum bis in angulum rectum recurvum fac in aquam immergere. Destillatio ex balneo arenae leni igne instituatur. Succinum primum liquatur et parca copia olei aetherei transit. Deinde Succinum fusum intumescere incipit et destillatio rapidius procedit. Ignis eo moderatur ut Succinum in ebullitione continua aequabili obtineatur, nec adeo infletur, ut in vas excipiens transmigret. Quando intumescentia sensim cessabit, ignis augeatur iterum, ut producta pyrogenea large destillent. Operatio intercipiatur, quando igne sub finem aucto liquida evocari cessaverint. Obtinentur hac operatione corpora tria bene distincta, scilicet Acidum Succinicum impurum (Sal Succini volatile), quod in collo retortae suspensum tenetur, Liquor aquosus acidus, dictus Spiritus volatilis Succini, in quo acidum succinicum et aceticum cum oleo empyreumatico inquinatum continetur, denique Oleum volatile Succini, quod hoc loco nobis spectandum est, et a liquido aquoso cauta effusione separatur.

Continet acidum succinicum et varia

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0625-3
DFG

corpora pyrogenea. Oleum empyreumaticum, spiſsiusculum, fuscum, odore bituminoso, ponderis spec. 0,886. Residuum in retorta nisi nimium calefactum fuerit (quod non est ex oeconomia prudente) Colophonium Succini audit, et inservit Vernice Succini parando. Hae operationes melius in officinis propriis chemicis exercentur, et ubi Succinum secundae notae vilioris pretii prostat. Pharmacopolae ergo liceat Oleum Succini crudum ex mercatura sibi comparare.

## OLEUM SUCCINI RECTIFICATUM. Gereinigtes Bernſteinöl. *Huile de Succin depurée.*

*Synon.:* Oleum aethereum Succini.

Rec. Olei Succini crudi q. v., immitte in retortam vitream cum excipulo lege artis junctam, et destillationem blandissimo igne ex balneo arenae institue, donec oleum colore intensiore tinctum prodire incipiet; hoc plerumque accidit, quando olei trientes duae transierint. *Vis:* incitans, antispasmodica, diuretica, rubefaciens.

Sit oleum coloris flavescentis, odoris specifici bituminosi, pond. spec. 0,880, cum acido nitrico fumante magma resinosum generans, aëris contactu colorem fuscum induens.

*Usus:* in hysteria, epilepsia, mensibus impeditis, externe in affectionibus paralyticis, dolore faciei, cet.

Alii Codices Oleum Succini crudum cum sextupla vel octupla copia aquae destillatae jubent, sicut Ph. Slesv.-Hols. et Bor. ed. 5; alii denique cum Carbone Lignorum, Creta, Cineribus lignorum, Calcaria usta inepte destillationem institui volunt, quibus quidem admixtis corpora pyrogenea, quae excernere rectificationis studium est, denuo facillime progignuntur.

OLEUM SUCCINI SULPHURATUM vid. Balsamum Sulphuris succinatum (p. 122).

OLEUM SULPHURIS s. SULPHURATUM vid. Balsamum Sulphuris simplex (p. 122).

OLEUM TACAMAHACAE Ph. Wirt.

Rec. Tacamahacae part unam, Arenae part. unam et sesqui, destillationi siccae exponantur in retorta.

## OLEUM CONTRA TAENIAM CHABERTI, Oleum anthelminthicum. Chabert's Oel, Bandwurmöl. *Huile anthelminthique de Chabert.*

Rec. Olei Cornu Cervi crudi Unc. unam, Olei Terebinthinae Unc. tres; retortulae per tubulum immissa blanda destillatione destillent, donec Unc. tres prodierint.

Sit flavescens, limpidum, odoris foetidissimi et terebinthinacei.

## OLEUM TANACETI. Rainfarnöl. *Huile de Tanaisie.*

Destillatione paretur ex Floribus Tanaceti recentibus concisis sicut Oleum Absinthii.

Coloris lucide-flavi, pond. spec. 0,932 — 0,946, saporis acris, amari.

OLEUM THAPSIAE. Thapſienöl. *Huile de Thapsie.*

Ph. Hisp. Rec. Radicis Thapsiae Asclepii LINN., Hb. Rorismarini, Vini rubri āā Libr. unam, Ol. Olivar. Libr. quatuor, coque ad humidi consumtionem et exprime.

## OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM, Liquamen Tartari, Liquor Kali carbonici puri, Liquor Salis Tartari, Lixivium Tartari s. Alkali vegetabilis. Zerfloſſenes Weinſteinſalz, Weinſteinöl, reine kohlenſaure Kalilöſung. *Liqueur de Sel de Tartre.*

Rec. Salis Tartari q. v., in patina aperta in locum humidum (e. gr. cavam vel sub campanam cum vase altero aquae pleno) colloca, ut totum deliquescat, liquorem per chartam albam filtra.

Sit limpidum, decolor, cum acido nitrico excedente mixtum et ad siccum redactum siliciam non relinquat iterum aqua solutum, solutio acido nitrico acidefacta, neque cum Baryta nitrica neque cum Argento nitrico praecipitatum progignat; a posteriore leviter turbetur ad summum.

Oleum Tartari per deliquescentiam spontaneam paratum a solutione concentrata Salis Tartari nonnisi particulis Kali bicarbonici admixtis differt, quod quidem, quum incertam rationem sequeretur, nec ullius momenti esset pro virtute medica, plane rejiciatur, et Solutio Salis Tartari bene praeparati in ejus locum est supplenda. Haec praeparetur ex Salis Tartari et Aquae destillatae pari pondere atque filtratione. Codices veteres sc. Brunsv., Palat., Wirt., porro Dubl., Hass., Ruth. castr., Sard. illam in capite exhibitam formulam receperunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0626-9

DFG

OLEUM TEREBINTHINAE RECTIFICATUM. Gereinigtes Terpenthinöl. *Essence de Térébinthine.*

Oleum Terebinthinae venale cum sextupla copia Aquae communis in retorta destillationi blandae subjiciatur, et oleum destillatum ab aqua separetur. Oleum Terebinthinae crudum non raro adeo purum in mercatura obvenit, quod rectificatione non egeat.

OLEUM TEREBINTHINAE SULPHURATUM vid. Balsamum Sulphuris terebinthinatum (p. 122).

## OLEUM THYMI. Thymianoel. *Huile de Thym commun.*

Destillatione paretur ex Herba Thymi vulgaris florente concisa sicut Oleum Absinthii.

Coloris pallide flavescente-viriduli interdum rubescentis, perliquidum, pond. spec. 0,874, fragrans, saporis calidi acris.

OLEUM AD TORMINA VENTRIS vid. Ol. carminativum.

OLEUM DE TRIBUS Van Mons.

Rec. Ol. Terebinth., — Lavandul., — Philosophor. aa part aeq., m.

OLEUM UTERINUM Ph. Argent.

Rec. Ol. Castorei Unc. unam, — Galbani Drachm. unam, — Succini, — Chamomill., — Asae foetidae aa Drachm. semis.

## OLEUM VALERIANAE. Baldrianoel. *Huile de Valeriane.*

Destillatione paretur ex Radicibus Valerianae officinalis Linn. in vesica destillatoria sicut Oleum Absinthii.

Coloris lucide flavi vel viridiusculi, pond. spec. 0,947, facile lentescens, spissiusculum, graveolens, saporis amariusculi, subcamphorati, temporis lapsu colorem subfuscum induens. *Vis*: incitans, antispasmodica eximia.

Continet Acidum volatile, quod valerianicum dicitur, et olei instar fluit, simulque odore forti Valerianae gaudet.

OLEUM CONTRA VERMES Disp. Argent.

Rec. Rad. Gentianae, — Graminis, Sem. Rutae, — Colocynth., — Citri, — Cinae aa Drachm. unam et semis, — Lupini Drachm. duas, Hb. Gratiolae, — Scordii aa Manip. semis, Flor. Centaur. min., Tanaceti aa Pugill. tres, Myrrh. Drachm. duas, Ol. Absinth., — Rutae, — Laurini, Hyperici aa Unc. unam, Aceti scill. Unc. tres, Ol. Lilior. convall. Unc. unam et semis, incisa et contusa digerantur per 4 dies, tum ad Aceti consumtionem coquantur.

## OLEUM VINI DULCE, Oleum aethereum, Aetheroleum. Süßes Weinöl, Aetheröl. *Huile de vin douce.*

In destillatione Naphthae Vitrioli sub finem operationis Spiritus Vini instillationem intercipe, et destillationem per se perge donec spuma nigra succrescat, et massa tumida sublevari coeperit. Destillatum nunc obtentum seorsum excipe et misce cum Aqua calida in vitro claudendo. Oleum flavum sensim excernitur aqua levius, quod lege artis cum tubo aspiratorio a liquido separetur. Semel adhuc cum aqua calida leviter alcalina elotum iterumque separatum servetur.

Ex parergo obtinetur in officinis chemicis, in quibus Naphtha Vitrioli praecipue paratur. De consilio parari potest, si Spiritus Vini rectificatissimi pars una cum Olei Vitrioli partibus duabus eo destillatione consumuntur, ut massa carbonacea exsurgere incipiat. Oleum innatans superficiei destillati modo mox descripto separetur. Ph. Lond. 1836 recepit.

*Vis:* summopere excitans, nervina.
*Usus:* in morbis nervosis.

OLEUM VIOLARUM. Veilchenöl.

Disp. Brunsv., Wirt. Rec. Flor. Violar., Ol. Olivar. aa par pondus, eoque ad humidi consumtionem.

OLEUM VIRIDE vid. Balsamum viride (p. 123).

## † OLEUM VITRIOLI RECTIFICATUM. Rectificirte Schwefelsäure. *Acide sulfurique destillé.*

*Synon.:* Acidum sulphuricum purum, s. destillatum, s. rectificatum, s. correctum, s. purificatum, Acor Sulphuris merus. Reine Schwefelsäure, destillirte Schwefelsäure, abgezogenes Vitriolöl. *Huile de Vitriol rectifiée.*

Rec. Olei Vitrioli crudi Libras duas vel tres,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0627-5

immitte in retortam vitream non tubulatam, externe lorica argillacea munitam, quae ad trientes duos tantum acido repleatur. Retortulam impone in cylindrum e lamina ferrea nigra incurvatione confectam, inferne et superne apertam, diametri pollicum trium, altitudinis pollicum quatuor ad quinque. Retortula cylindri diametrum tertia circiter parte superet, ut ejus fundus in cylindro insit, parietes vero laterales supra cylindri parietes promineant. Cylindrum cum retortula in cratem furni impone, ut retortae collum supra marginem furni promineat. Collo retortae appone tubum vitreum tri- vel quadripedalem, et talis amplitudinis, quae collum accurate amplectatur nec spatium intermedium relinquat. Rebus ita constitutis carbones ardentes in furno circa cylindrum ferreum conjice, cavens ne retortam ipsam tangant, sed haec ab aëre calido assurgente tantum calefiat, tum capitellum fictile vel ferreum supra retortam colloca, ut haec undique ab aëre calido foveatur. Igne sensim aucto acidum calefiat, ut destillatio incipiat; Uncias duas primum prodeuntes separatim excipe, tum vas alterum mundum siccumque tubo vitreo longo appone. Ignis per totum destillationis tempus summa cum cura aequabilis obtineatur, ne ebullitio nimium crescat, nec vapores acidi sulphurici emergant. Destillatio intercipiatur si acidi superficies in retorta ad marginem cylindri fere advenerit.

*Vis:* corrosiva, deleteria.

Sit liquidum consistentiae oleosae, plane decolor, pond. spec. 1,85, ex toto volatilis, Acidi muriatici, quod solutione Argenti sulphurici diluta dignoscitur, liberum.

*Usus:* per se nullus; pro usu interno medicinali nonnisi Oleum Vitrioli destillatum sumatur; accedit ad Elixir acidum Halleri, Spiritum Vitrioli, Elixir Vitrioli Mynsichti, cet.

Encheiresis destillationis Olei Vitrioli difficillima propter caloris gradum et periculum imminens rupturae vasorum. Vitrum retortae viride sit optimae indolis, parietes crassitiei aequabilis, absque bullis vel lapillis innatis. Balneum arenae non commodum est, quia metalli vi calorem facillime perducente ebullitio a fundo retortae quoque fit, quod summa cum cura evitetur. Lorica e luto macro humido inducta atque sicca praesidii satis affert ad retortam contra vim rapidiorem ignis protegendam. Ebullitio secundum nostram methodum nonnisi a parietibus efficitur, ideoque eructamenta, quae fiunt a sedimento excreto, facillime evitantur. Laudatur fila platinea vel fragmenta vitri in retortulam simul immittere; conducit sane, at non exigitur. Tubus vitreus longus oblique constitutus refrigerationem sufficientem affert absque aqua circumdata, qua ruptura facile induceretur. Destillationem Olei Vitrioli ex urceo lapideo quoque eventu secundo instituere ausus sum. In collum urcei tubum vitreum brevissime recurvatum, altera parte obliqua longum ope luti gypsei adaptavi, totum in Cylindrum ferreum inferne clausum imposui et arenam circumjeci, eademque cura, quae supra descripta est, destillationem effeci. Quod in retorta vel urceo remanet pro Oleo Vitrioli crudo adhibeatur.

## OLEUM VOLATILE ANIMALE

vid. Oleum animale Dippelii.

## OLEUM VULPINUM Ph. Wirt.

Ineptiae commemoratione non dignae.

## OLEUM ZEDOARIAE. Zedoaröl.

*Huile de Racine de Zédoar.*

Paretur sicut Oleum Caryophyllorum destillatione cum Aqua ex Radice Zedoariae contusa. Disp. Brunsv., Palat., Wirt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0628-1

OLEUM ZINGIBERIS. Ingweröl.
*Huile de Gingembre.*

Idem valet pro radice Zingiberis sicut in voce praecedente.

OPIATUM ADSTRINGENS.

Sainte-Marie. Rec. Terebinth. Venet. Unc. semis, Rad. Rhei Drachm. tres, Calomell. Scrup. semis, Syr. Consol. maj. q. s.

Bories: Conserv. Cynarrhodi Unc. sex, Gland. Quercus pulv. Unc. tres, Corall. rubr. praep., Catechu aa Unc. unam et semis, Cinnamomi Drachm. tres, Syr. Rosar. rubr. q. s.; vel Pulv. Rad. Salicariae, — Rad. Arnicae aa Drachm. semis, — Alumin Gran. sex, Conserv. Cynarrhodi q. s.

OPIATUM ANTIAPOPLECTICUM Bergii.

Rec. Croci Mart aperitiv. Unc. semis, Croci, Rad. Rhei aa Drachm. unam et semis, Antimonii diaphoretici, Salis Tamarisci, Terebinthinae, Salis Ammoniaci, Jalappae, Rad. Ireos Florent. aa Drachm. unam, Scammonii, Rad. Helleb. nigri Scrup. duos, Syr. Rosar. pallid. q. s., ut fiat opiatum i. e. electuarium crassum.

OPIATUM ANTICACHECTICUM vid. Electuarium antihaemorrhoidale (p. 260)

OPIATUM ANTICHLOROTICUM Pierquin.

Rec. Croci Martis aperitiv., Asellor. praep., Succini alb. aa Gran. decem, Extr. Rhei, Extr. Juniperi aa Scrup. unum, Conserv. Cynarrhodi, — Enulae aa Drachm. semis, Syr. Absinthii q. s.

OPIATUM ANTIDYSENTERICUM Cadet.

Rec. Rad. Ipecacuanh. Drachm. semis, Rad. Tormentill. Drachm. unam, Extr. Opii aq. Gran. quatuor, Conserv. Rosar. rubr., Syr. Myrtill. aa Drachm. sex.

OPIATUM ANTIEPILEPTICUM Van Mons.

Rec. Opii Drachm. semis, Rad. Valerian. Unc. unam et semis, Syr. Papav. q. s.

OPIATUM ANTIGONORRHOICUM Bories.

Rec. Elect. lenitiv. Unc. duas, Cremor. Tartari, Pulv. Rhei aa Unc. semis, Balsami Copaiv. Unc. unam et semis, Syr. Rosar. q. s.

OPIATUM ANTIGONORRHOICUM Larrey.

Rec. Aq. Rosar. Drachm. duas, Vitrioli albi Scrup. unum, Balsami Copaiv., Sacch. albi aa Unc. quatuor, Ol. Anisi, Flor. Rosar. pulv. q. s.

OPIATUM ANTIGONORRHOICUM Sainte-Marie.

Rec. Balsami Copaivae Unc. duas, Ossium Sepiae Drachm. tres, Oculor. Cancr., Corall. rubr. aa Drachm. duas, Conserv. Enulae q. s. (Cf. Opiatum balsamicum).

OPIATUM ANTIHAEMORRHOIDALE vid. Electuarium antihaemorrhoidale (p. 260.)

OPIATUM ANTIHERPETICUM Pierquin.

Rec. Limaturae Martis alcohol., Myrrh., Gummi Ammoniaci aa Drachm. sex, Extr. Hellebor. nigr. Drachm duas, Rad. Jalapp., Milleped. praep. aa Drachm. quinque, Syr. Fumar. q. s.

OPIATUM ANTIODONTALGICUM Augustin.

Rec. Opii, Camphor. aa Gran. duo, Ol. Caryophyll., Tinct. Sem. Amomi aa Gran. unum, fiat pasta; vel: Extr. Belladonn., — Hyoscyami, Opii aa Gran. sex, Tinct. Rad. Pyrethri, Olei Caryophyll. aa Gutt. viginti, fiat pasta.

OPIATUM ANTIPERIODICUM TONICUM Pierquin.

Rec. Antimonii diaphoretici Drachm. unam, Cassiae lign. Drachm. semis, Extr. Juniperi Drachm. duas, — Chinae Drachm. unam, Conserv. Enulae, — Cynarrhodi aa Drachm. tres, Syr. Cichor. comp. q. s.

OPIATUM ANTIPHTHISICUM Pierquin.

Rec. Cetacei, Flor. Sulph., Oculor. Cancror. aa Drachm. duas, Conserv. Rosar. Unc. semis, Mellis q. s

OPIATUM ANTISYPHILITICUM Pierquin.

Rec. Calomell. Unc. duas et semis, Aethiop. mineral. Unc. duas, Sapon. Venet. Unc. octo, Gummi Tragacanth. q. s. ut fiat massa homogenea, cui adde Extr. Boragin., — Bugulae aa Unc. tres, Camphor. Drachm. semis, Syr. Sacchari q. s.

OPIATUM ANTISYPHILITICUM Vavasseur.

Rec. Calomell. Drachm. duas, Opii Gran. duodecim, Conserv. Rosar. Unc quatuor, m.

OPIATUM APERIENS ET PURGANS Bories.

Rec. Croci Martis aperit. Unc. semis, Croci, Rad. Rhei aa Drachm. unam et semis, Antimon. diaphoret., Sal. Tartari, Terebinth., Salis Ammoniaci, Jalapp., Rad. Ireos Florent. aa Drachm. unam, Scammonii, Extr. Hellebor. nigri aa Scrup. duos, Syr. Rosar. pall. q. s.; vel: Aethiop. mineral Unc. semis, Elect. lenitiv. Unc. unam, Pulv. Senn., Pulv. Rhei, — Jalapp., — Asellor. aa Drachm. duas, Scammon. Drachm. unam, Sal. amar. Unc. semis, Syr. quinque Radic. q. s.

OPIATUM ARABICUM Pierquin.

Rec. Sarsaparill., Chinae, Nuc. Avellanar. tost. aa Unc. quatuor, Caryophyll. Unc. quinque, Mell. q. s.

OPIATUM BALSAMICUM CONTRA BLENNORRHAGHIAM Barton.

Rec. Bals. Copaivae, Cubebar. aa Unc. duas, Alum. crud. pulv. Unc. unam, Extr. Opii aq. Gran. quinque ad sex, massam homogeneam divide in doses Drachmae unius.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0629-9

OPIATUM CONTRA CANCRUM BARBEIRAC.

Rec. Chinae, Rosar., Cornu Cervi, Corall. rubr. āā Unc. unam. et semis, Ocul. Cancror. praep. Drachm. duas, Syr. Nymph. q. s.

OPIATUM CONTRA CHLOROSIN BARBEIRAC.

Rec. Croci Mart. aperit. Drachm. unam, Rad. Rhei Scrup. duos, Cinnamomi, Diacrydii āā Drachm. semis, Syr. Cichor. q. s, divide in 4 part. aequales.

OPIATUM CARDIACUM Disp. Lugdunens.

Rec. Bacc. Juniperi Unc. quatuor, Macid., Pulv. Viperar., Rad. Angelic., — Aristoloch. long., — Osmundae, — Bistortae, — Carlinae, Contrayervae, Mei Athamanth. āā Unc. unam, Mell. q. s.

OPIATUM CARDIACUM BIERLING.

Rec. Confect. Alkermes Unc. semis, Conserv. Rad. Bugloss. Unc. unam, Flor. Rosar. Unc. semis, Spec. Diamargarit. frigid. Drachm. unam, Syr. de Pomis q. s.

OPIATUM CARDIACUM PRO PAUPERIBUS.

Rec. Conserv. Rosar. Unc. unam, Rad. Enulae Drachm. unam et semis, Boli Armen. Drachm. semis, Syr. Acetosi q. s.

OPIATUM CEPHALICUM RENADAL.

Rec. Conserv. Betonicae Drachm. sex, Conserv. Rosar. Unc. semis, *Confect. Alkerm. Scrup. quatuor, Pulv. Elect. Dianth. Scrup.* duos, Specier. Electuar. Diamargarit. frigid., — Dionisi, — Diamoschi āā Scrup. unum, Syr. Stoechad. q. s.

OPIATUM DENTIFRICIUM BORIES.

Rec. Myrrh., Olibani āā Drachm. unam, Mellis albi Unc. duas.

OPIATUM DENTIFRICIUM SPIELMANN.

Rec. Myrrh., Olibani āā Unc. semis, Cetacei Drachm. duas, tere cum vitello ovi, adde Pulv. Rad. Liquir. q. s.

OPIATUM DENTIFRICIUM VAN MONS.

Rec. Caryophyll. Scrup. unum, Cinnamomi Drachm. unam et semis, Laccae Florent. Unc. unam, Cornu Cerv. ust. Unc. duas et semis, Syr. Acetositatis Citri q. s.

OPIATUM DESALTERANS PIERQUIN.

Rec. Conserv. Eryngii, — Bugloss. āā Unc. duas, — Boragin. Unc. unam, Confect. Alkerm. Unc. semis, Syr. Pomor. q. s.

OPIATUM DYSENTERICUM SPIELMANN.

Rec. Theriacae ANDROMACHI, Diascordii āā Unc. duas, Gummi Arab. Unc. semis, Boli Armen. Unc. tres.

OPIATUM DYSENTERICUM BALSAMICUM.

adde praecedenti formulae Balsami LOCATELLI Unc. duas.

OPIATUM EMMENAGOGUM PIERQUIN.

Rec. Limatur. Mart. alcohol. Drachm. sex, Pulv. Sennae, — Rhei, — Jalapp. āā Drachm. duas, Aethiopis mineralis Unc. semis, Extr. Castor. Scrup. duos, Asellor. Drachm. duas, Sal. Ammon Drachm. unam, Syr Diacodii q. s. ejusdem: Croci Mart. aperitiv., Aloës Succotr., Gummi Ammoniaci āā Unc. unam, Cinnamomi, Nucis moschat. Unc. semis, Arcani duplicat. Drachm duas, Extr. Gentian. Unc. tres, Syr. Absinthii q. s.

OPIATUM FEBRIFUGUM BARBEIRAC.

Rec. Cort. Chinae Unc unam, Flor Chamomill. Drachm. duas, Sal. Tartari Scrup. quatuor.

OPIATUM FEBRIFUGUM CADET.

Rec. Pulv. Hb. Absinth., — Centaur. min., — Myrrh., Roob Juniperi āā Unc. unam, Syr. Absinth. q. s.

OPIATUM FEBRIFUGUM DESBOIS DE ROCHEFORT.

Rec. Chin. flav. Unc. unam, Sal. Tartari Drachm. unam, Tart. emet. Gran. sedecim, Syr. Absinth. Unc. tres.

OPIATUM FEBRIFUGUM BORIES.

Rec. Chinae Unc unam, Sal. Absinth., Sal. Ammoniaci, Flor. Sal. Ammon. martiat., Rhei āā Drachm. semis, Syr. quinque Radicum q. s

*OPIATUM FEBRIFUGUM PIERQUIN.*

Rec. Chinae Drachm. sex, Rhei, Cascarill., Sal. Ammon. āā Drachm. duas, Rad. Ireos Florent. Drachm. unam, Syr. Cichorei q. s.

OPIATUM FEBRIFUGUM PURGANS SPIELMANN.

Rec. Chinae Unc. quatuor, Jalapp., Nitri āā Drachm. tres, Conserv. Rosar. rubr. Unc. duas, Syr. Cichor. c. Rheo q. s.

OPIATUM HYDRAGOGUM PIERQUIN.

Rec Croci Mart. adstr. Gran. septem, Pulv. Millepedum, — Rhei āā Gran. duodecim, Jalapp. Gran. octo, Scammonii Gran. quatuor, Boracis Gran. quinque, Syr. Alth. q. s.

OPIATUM LENIENS s. SEDANS PIERQUIN.

Rec. Sacch. Saturni Drachm. semis, Nitri Drachm. sex, Conserv. Cynarrhodi Unc. duas, Syr. Capill. Ven. q. s.

OPIATUM MESENTERICUM vid. Electuarium mesentericum (p. 273).

OPIATUM NEAPOLITANUM BARBEIRAC.

Rec. Calomell, Jalapp. āā Drachm. unam et semis, Scammon. Scrup. unum, Rhei, Sennae āā Drachm. duas, Lign. Guajaci, Rad. Sassaparill., — Chinae āā Unc. semis, Syr. Rosar. solutiv. q. s.

OPIATUM PAJOT-LAFORESTI.

Rec. Mercur. sublim. corros., Pulv. Gummi Kino, Bals. Copaiv. āā Unc. semis, Gum-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0630-0
DFG

mi Arab. Unc. unam et semis, Sacch. albi Unc. quinque, Aq. Menth. q. s.

OPIATUM PECTORALE Pierquin.

Rec. Conserv. Enulae Unc. unam, Flor. Sulph. Drachm. duas, Croci Scrup. duos, Chinae Drachm. sex, Balsam. Copaiv. Unc. semis, Syr. Capill. Ven. q. s.

OPIATUM PECTORALE TONICUM Pierquin.

Rec. Limatur. Mart. alcohol. Drachm. tres, Chinae, Rhei aa Drachm. unam, Arcan. duplicat. Drachm. semis, Roob Enulae, Mell. despum. aa Unc. semis.

OPIATUM PURGANS Pierquin.

Rec. Calomell., Extr. Aloës aa Gran. decem, Ciner. Clavell. depur. Gran. duo, Syr. Fumar. q. s.

OPIATUM PURGANS ET TONICUM Pierquin.

Rec. Calomell., Pulv. Asellor. aa Drachm. duas, Croci Mart. aperit., Chinae aa Unc. semis, Extr. Junip. q. s.

OPIATUM De Roccamore vid. Electuarium De Roccamore (p. 278).

OPIATUM Salomonis CORRECTUM sec Charas.

Rec. Cort. Citri Sacch. cond. Unc. octo, Conserv. Oxalis, — Rorismar., — Buglossi aa Unc. duas, Mithridati veteris Unc. unam, Rosar. rubr., Rad. Enulae, Dictamni, Hb. Dictamni cretici, Sem. contra Vermes, — Citri mund., — Card. bened., Rasur. Cornu Cervi aa Unc. semis, Cort. Citri sicc., Ligni Santali citrini, Rad. Gentian., Ossis e Corde Cervi aa Drachm. duas, Cinnamomi, Macid., Caryophyll., Cinnamom. minor. aa Drachm. unam, Junip. No. 24, f. electuarium.

OPIATUM SEDANS vid. Opiat. leniens.

OPIATUM STIMULANS Pierquin.

Rec. Limatur. Mart. alcohol., Gummi Ammoniaci aa Unc. unam, Milleped. praepar. Drachm. sex, Extr. Aloës Drachm. tres, Jalapp. Unc. semis, Castor., Croci aa Drachm. tres, Extr. Gentian. q. s.

OPIATUM STOMACHICUM Pierquin.

Rec. Rad. Zingib. cond. Unc. duas, Cort. Citri cond., Caryophyll. cond. aa Unc. unam, Opiati Salomonis Unc. semis, Nuc. moschat. condit., Cinnamomi aa Drachm. tres, Cascarill. Drachm. semis, Ol. Caryophyll. Scrup. duos, — Cinnamom. Gutt. decem, Syr. Caryophyll. rubr. q. s.

OPIATUM SULPHURATUM.

Rec. Flor. Sulph. Unc. unam, Mell. alb. Unc. duas.

OPIATUM TEREBINTHINATUM Dr. Martinet.

Rec. Ol. Terebinth. Unc. unam, Magnes. ust. Scrup. duos et semis, Tinct. Menth. crisp. Gutt. octo.

OPIATUM VERMIFUGUM Pierquin.

Rec. Aethiop. mineral., Sem. Hyperici, — Rutae, — Absinth., — Tanaceti aa Unc. semis, Syr. Absinth. q. s.

OPIUM COLATUM s. DEPURATUM s. GUMMOSUM vid. Extractum Opii aquosum (p. 413).

OPIUM PRAEPARATUM Langelotti vid. Extractum Opii cydoniatum (p. 414).

OPODELDOC vid. Balsamum Opodeldoc (p. 118).

ORVIETANUM. Orvietan. *Orvietane.*

Rec. Radic. Angelicae, — Aristolochiae utriusque, — Bistortae, — Carlinae, — Contrajervae, — Fraxinellae, — Gentianae, — Imperatoriae, — Pentaphylli, — Serpentariae, — Virgin., — Tormentillae, — Valerianae, — Zedoariae, Foliorum Cardui benedicti, — Pulegii, — Rutae hortensis, Sabinae, — Scordii, — Scabiosae, Florum Hyperici, Corticum Aurantiorum, — Citri, — Cinnamomi, Baccarum Juniperi, — Lauri aa Unc. unam, Viperarum exsiccatarum Unc. duas. Fiat omnium pulvis, qui excipiatur Roob Juniperi, Mellis despumati aa Libr. tribus; optime mixtis addantur Theriacae Andromachi, Mithridatii aa Unc. duae, Olei Rutae destillati, — Succini albi, — Caryophyllorum, — Juniperi aa Scrup. unus. Reponantur in vase figulino probe vitreato.

OS SEPIAE PRAEPARATUM sicut Conchae praeparatae.

OSSA USTA PRAEPARATA sicut Conchae praeparatae.

OXALAS AMMONIAE vid. Ammonium oxalicum (p. 35).

OXALAS MERCURII ex solutione Mercurii nitrosi ope Acidi oxalici praecipitatus. Usus nullus.

OXALAS POTASSAE ACIDULUS = Sal Acetosellae (I, p. 298).

OXALAS POTASSAE ET FERRI vid. Extractum Martis aperiens Mynsichti (p. 409).

OXODES = Oxydum.

OXYCHLORURETUM CALCIS vid. Calcaria chlorosa (p. 145).

OXYCRATUM. Oxycrat, Sauertrank. *Oxycrat.*

Rec. Aceti Unc. unam, Aquae Libr. unam. Ad libitum ab aegroto praeparatur. *Vis:* leviter diuretica.

OXYCRATUM SIMPLEX Plenckii.

Rec. Aceti Vini, Aq. comm. aa par pondus.

OXYCRATUM SPIRITUOSUM.

Rec. Oxycrati simpl. Libr. unam, Spir. Vini camph. Unc. duas, pro fomento.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0631-6
DFG

OXYDULUM ANTIMONII vid. Antimonium oxydatum (p. 37).

OXYDULUM FERRI vid. Aethiops martialis (p. 29) et Ferrum oxydulato-oxydatum Woehleri (p. 430).

OXYDULUM HYDRARGYRI s. MERCURII vid. Mercurius solubilis Hahnemanni (p. 549) et Mercurius cinereus.

OXYDULUM STIBII HYDROSULPHURATUM vid. Kermes minerale (p. 496).

OXYDUM ANTIMONII vid. Antimonium oxydatum (p. 37).

OXYDUM ANTIMONII CUM SULPHURE PER NITRATEM POTASSAE vid. Crocus Metallorum (p. 210).

OXYDUM BISMUTHI vid. Magisterium Marcasitae (p. 536).

OXYDUM CUPRI vid. Cuprum oxydatum (p. 213).

OXYDUM FERRI vid. Crocus Martis aperitivus et adstringens (p. 209).

OXYDUM FERROSO-FERRICUM vid. Aethiops martialis (p. 29).

OXYDUM HYDRARGYRI s. MERCURII vid. Mercurius praecipitatus ruber (p. 548).

OXYDUM STANNI vid. Cinis Stanni (p. 182).

OXYDUM ZINCI vid. Flores Zinci (p. 434).

OXYGENIUM vid. Aër vitalis (p. 27).

OXYMEL ACETATIS CUPRI s. AERUGINIS vid. Unguentum aegyptiacum.

OXYMEL ALLII s. alliatum. Knoblauchſauerhonig. *Oxymel d'ail.*

Aceti Allii part. unam, Mellis albi part. duas, coque lento igni absque ebullitione ad Syrupi spissitudinem.

OXYMEL ANTISPASMODICUM Pierquin.

Rec. Asae foetid. Scrup. unum, Hb. Digital. purpureae Gran. sex, Oxymell. scillit. Unc. duas, Aq. Tiliae Unc. quatuor.

OXYMEL BELLADONNAE Ph. Herbip. Tollkrautſauerhonig. *Oxymel de Belladonne.*

Rec. Aceti Belladonnae (Ph. Herbip.) part. unam, Mellis albi part. duas, coque leni igne absque ebullitione ad Syrupi consistentiam

OXYMEL CHALYBEATUM s. MARTIALE Spielmann.

Rec. Aceti martialis, Mellis crudi albi aa part. aequales, coque ad Syrupi consistentiam.

OXYMEL COLCHICI, Mel Aceti Colchici. Zeitloſenſauerhonig. *Oxymel colchique.*

Rec. Aceti Colchici partem unam, Mellis despumati partes duas, dissolve, fac evaporare ad syrupi spissitudinem, cola.

OXYMEL CUPROSUM s. CUPRI vid. Unguentum aegyptiacum.

OXYMEL DIGITALIS Augustin.

Rec. Hb. Digital. purp. Unc. unam, Acet. Vini Libr. unam, digere, colaturae adde Sacch. albi q. s. ad edulcorationem Aceti (?)

OXYMEL HELLEBORATUM. Nießwurzſauerhonig. *Oxymel d'Ellébore noir.*

Rec. Aceti Hellebori part. unam, Mell. despum. part. duas, coque ad Syrupi spissitudinem.

OXYMEL MARTIALE vid. Oxymel Chalybeatum.

OXYMEL NARCISSI PRATENSIS s. Pseudo-Narcissi Van Mons.

Rec. Aceti Narcissi part. unam, Mell. albi part. quatuor.

OXYMEL NICOTIANAE s. Tabaci Ph. Herbip.

Rec. Aceti Nicotianae part. unam, Mell. albi part. duas, evaporent ad Syrupi consistentiam.

OXYMEL PECTORALE Disp. Brunsv.

Rec. Rad. Enulae Unc. unam, — Ireos Florent. Unc. semis, coque cum Aq. comm. Libr. tribus ad Libr. duarum remanentiam, colaturae adde Mellis despumati Libr. unam, Gummi Ammoniaci Unc. unam, in Aceti Vini Libr. semis solutum, misce parum coquendo.

OXYMEL PRIMULAE Ph. Herbip.

Aceti Primulae part. unam, Mell. alb. part. duas, coque in Syrupum.

OXYMEL SACCHARINUM Van Mons.

Rec. Aceti part. unam, Sacchari Candi part. semis, Mell. albi part. unam et semis, coque in Syrupum.

OXYMEL SAMBUCI Ph. Herbip.

Aceti Sambuci part. unam, Mell. albi part. duas, coque in Syrupum.

## OXYMEL SCILLITICUM.

Meerzwiebelſauerhonig. *Oxymel scillitique.*

*Synon.* Oxymel Scillae.

Rec. Aceti scillitici Libram unam, Mellis despumati Libr. duas,

leni calore absque ebullitione fac evaporare ad Syrupi spissitudinem, cola.

*Vis:* expectorans, diuretica, laxans, majori dosi emetica.

*Usus:* in asthmate humido, tussi, hydrope.

Pharmacopoearum maximum agmen in formula illa consentiunt. Ph. Lond. 1836: Aceti scillit. Libr. duas, Mellis Libr. tres. Ph. Dan. milit. amborum par pondus. Ph. Genev., Hass. Aceti part. unam, Mellis part. quatuor.

## OXYMEL SIMPLEX.
### Sauerhonig. *Oxymel simple.*

*Synon.* Mel Aceti simplex, Oxymellitum simplex.

Rec. Aceti Vini albi Libr. unam, Mellis despumati Libr. duas, evaporent leni igne absque ebullitione ad Syrupi consistentiam, tum colentur per manicam vel pannum laneum.

*Vis:* refrigerans, diaphoretica.

*Usus:* in febribus, inflammationibus; potionibus et gargarismatibus adjicitur.

Plurimi Codices in formula illa conveniunt. Ph. Edinb.: Mellis tres, Aceti duas partes. Disp. Fuld., Lipp. amborum partes aequales. Ph. Hass. Aceti unam, Mellis quatuor. Belg. Aceti unam, Mellis tres partes.

OXYMEL TABACI vid. Oxymel Nicotianae.

OXYMEL TARTAROSUM Swediaur.

Rec. Cremor. Tartari part. unam, Mell. despumati part. duas, m.

OXYMURIAS POTASSAE = Kali chloricum.

OXYRHODINUM Gray.

Rec. Olei rosati Unc. duas, Aceti rosati Unc. unam, m. pro linimento in herpete.

OXYSACCHARUM s. Syrupus Aceti.

Rec. Sacch. albi Libr. tres, Aceti Vini q. s. ad Syrupi consistentiam.

OXYTARTARUS = Terra foliata Tartari.

PANACEA DUPLICATA s. de Holstein = Arcanum duplicatum.

PANACEA Kornmanni vid. Aurum horizontale Zwingeri (p. 104).

PANACEA MERCURIALIS est Calomel aliquoties sublimatum, nec tamen eo melius.

PANACEA MERCURIALIS RUBRA = Mercurius praecipitatus ruber.

PANACEA TARTAREA vid. Tinctura Tartari composita.

PANADA ANGLORUM Augustin.

Rec. Panis secalini tosti Unc. sex, Cinnamomi Drachm. semis, Cort. Citri rec. Drachm. duas, Vini albi Libr. duas, coctis colatis adde ad lubitum Vitellum Ovi vel Aromata.

PANCHYMAGOGUM MERCURIALE = Calomel.

PANCHYMAGOGUS QUERCETANUS = Calomel.

PANES PURGANTES ET VERMIFUGI Pierquin.

Rec. Calomell. Unc. unam et semis, Pulv. Jalapp. Unc. tres, — Coriandri Drachm. unam, Farinae Tritici Libr. unam, Sacch. albi Libr. unam et semis, Ova No. 24, Aq. Naphae Unc. unam, f. panes Unc. unius.

PANES SACCHARATI PURGANTES Pierquin.

Rec. Jalapp. Unc. duas et semis, Farinae Tritici Unc. duas, Ova No. 24, Sacch. albi Libr. unam, fiant panes sexaginta.

PANIS CYDONIORUM CUM AROMATIBUS vid. Diacydonium aromaticum (p. 252).

## PARAGUAY-ROUX, Pararoux, Tinctura Spilanthis composita. Pararour, Tinctur der Paraſtreſſe, Rour's Zahnmittel. *Paraguay-Roux.*

Rec. Herbae et Florum Enulae bifrondis Unc. unam, Herbae et Florum Spilanthis oleraceae (Cresson de Para) Unc. quatuor, Rad. Pyrethri gross. contusi Unc. unam, Spiritus Vini rectificatissimi Unc. sex; digere per 14 dies, tum fortiter exprime; residuo infunde Spiritus Vini rectificatissimi Unc. duas, denuo digere in vase clauso per aliquot dies et iterum exprime. Liquores mixtos filtra.

Arcanum a Roux excogitatum et in legum tutelam susceptum, postea publici juris factum. *Vis:* antodontalgica praesentissima. Remediis dolores dentium lenientibus ceteris, sicuti Oleo Cajeputi, — Caryophyll., Creosoto multum anteferendum.

PASSULAE ANTHELMINTHICAE s. vermifugae. Wurmroſinen.

Rec. Passular. minor. Unc. octo, Rhei in nodulo inclusi Unc. semis, Helminthochorti in nodulo Unc. unam, Aq. Portulaccae Unc.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0633-7
DFG

quatuor, in furnum immitte pane cocto inde remoto, et vas ibi relinque, donec passulae intumuerint et mollefactae sint.

PASSULAE LAXATIVAE s. Confectio passulata (p. 198).

Ph. Wirt. Rec. Fol Sennae Unc. quatuor, Rad. Zingiberis Drachm. unam et semis, Cinnamomi Drachm. duas, Aq. ferv. Unc. decem, in colatura expressa solve Sacch. albi Libr unam, solutionem infunde Passularum minorum, in aqua communi ad mollitiem coctorum et a superflua humiditate modica exsiccatione liberatarum Librae uni. Ph. Palat. Fol. Senn. Unc. octo, Sem. Foeniculi Unc. semis, Cinnamom. Drachm. duas, Aq. comm. ferv. q. s. ad colaturam Libr. unius et semis, Sacchari ad plumam cocti, Passular. minor. mundatar. aa Libr. unam et semis. Ph. Dan. Fol. Senn. Unc. quatuor, coque in Aq. comm. Unc. decem, sub finem coctionis adde Cinnamomi Drachm. tres, expressa bulliant cum Sacch. albi Libr. una, colaturam superfunde Passularum Librae uni. Mynsichtius formulam prolixiorem prodidit sed omittendam.

**PASTA**, Paſte, Teig. *Pâte.* Medicamenta tenacia, subsolida, digitis non adhaerentia, ex Saccharo et Gummi arabico maxima ex parte conflata; nonnunquam corpora salutaria efficacia admiscentur. Gummi arabicum integrum aliquoties aqua frigida externe abluatur, ut materia amara externe frustulis gummi adhaerens, auferatur. In solvendo Gummi integro ne nimium aquae addatur, quo evaporationi diutinae praecavetur. Si in pasta praescribitur infusum vel decoctum plantarum, hoc pro solvendo Gummi sumendum est, denique Saccharum in frustula majora contusum addatur. Quando pasta pellucida manere debet, solutio inter agitationem calefiat usque ad ebullitionem; quum ebullire inceperit, agitationem desine, et fac evaporare leni coctione. Tali modo solutio pastae inspissetur, absque adustionis periculo a Gummi arabico. Si pasta extracti mollioris consistentiam contraxerit, aromatibus condienda est; spuma blando motu a superficie removeatur, et pasta in modulos e ferro laminato stannato confectos, obiter Oleo Amygdalarum illitos, effundatur, et in tepidario penitus siccetur. In modulis summa imum vertantur antequam penitus siccata fuerit pasta, ne in unum latus curvatum remaneat. Moduli nonnisi levissime Oleo illinantur, quia pasta per illud rancescere potest; Chauffard Mercurii vivi guttulis quibusdam Stannum in Amalgama mutari proposuit, a quo pasta facillime tollitur. Pastae, quae pellucidae manere non debent, inter assiduam agitationem inspissentur; sub finem aromata addantur; effundantur in tabulam ligneam amylo pulverato conspersam, vel marmoream oleo inunctam.

PASTA ADSTRINGENS Bories.

Rec. Terrae sigillatae Drachm. tres, Boli Armenae Drachm. unam, Succi Plantaginis q. s. ut fiat pasta

## PASTA ALTHAEAE. Altheepaſta. *Pâte de Guimauve.*

*Synon.* Pasta de Althaea, Pasta gummosa, Massa cum Gummi arabico, Tabellae Althaeae. Bruſtleder, Gummilederzucker, Gummiteig.

Rec. Gummi arabici electi toti
Uncias sedecim,
Aquae communis Uncias
triginta duas,
in vase fictili vitreato leni calore fove interdum agitanda donec Gummi penitus solutum fuerit, aqua evaporatione consumta interdum restituenda, tum cola per cribrum setaceum arctioris texturae vel per pannum laneum mundissimum; colaturae adde
Sacchari albi in frustula minora contusi Unc. sedecim,
calore solve et leni evaporatione ad mellis spissioris consistentiam redige.
Interdum
Albumina Ovorum sex,
cum
Aquae Naphae Unciis duabus,
assidua pulsatione in spumam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170077-p0634-3
DFG